THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
LIBRARY
ST. MICHAEL'S COLLEGE

S. THOMAE AQUINATIS

DE SATISFACTIONE ET INDULGENTIA

DOCTRINA.

S. THOMAE AQUINATIS

DE SATISFACTIONE ET INDULGENTIA

DOCTRINA

PROPOSITA ET EXPLICATA

A

Dr. CAROLO WEISS

C. ET R. CAPELLANO AULICO ET DIRECTORE SPIRITUALI C. ET R. SUBLIMIORIS PRESBYTERORUM EDUCATIONIS INSTITUTI AD S. AUGUSTINUM VINDOBONENSIS.

CUM APPROBATIONE PRINC.-EPISCOPALI.

GRAECII.

APUD U. MOSER (JUL. MEYERHOFF) BIBLIOPOLAM.

1896.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

FEB - 8 1937

9217

SALVO JURE PROPRIETATIS ET TRANSLATIONIS.

TYPIS ‚STYRIAE', TYPOGRAPHIAE C. R. UNIVERSITATIS, GRAECII.

Prooemium.

In animum induximus, illas fidei catholicae materias, quae sive propter difficultatem sive propter varias alias causas apud nos negliguntur ideoque satis obscure cognoscuntur, aliam post aliam accuratius ac subtilius tractare.

Nam quo subtilior ac clarior fidei nostrae cognitio, eo major est eiusdem admiratio, eo intensior eiusdem amor, eo efficacior ac salubrior eiusdem in vitam moresque vis. Voluntas enim est potentia consequens apprehensionem intellectus; et sicut ignoti nulla cupido, nullus cordis affectus, nullus voluntatis actus, ita scientia mater est affectuum actuumque. »In meditatione exardescit ignis«. (Psalm. XXXVIII, 4.)

Itaque postquam de septem donis Spiritus sancti opus conscripsimus atque edidimus, novum sequitur opus, quo doctrina satisfactionis et indulgentiae traditur.

Sunt enim haud pauci, qui putant, istam doctrinam a Scholasticis tam parum cultam atque explicatam esse, quam haeresiarchi saeculi XVI. calumniati sunt.

Sed quantum fallantur, palam fit ei, qui Scholasticorum ea de materia doctrinam perscrutatur.

Tantum enim abest, ut pauca illa doctrinae istius capita, quae Concilium Tridentinum proposuit et definivit, tractata sint, ut tota doctrina cum omnibus quaestionibus ac difficultatibus ad ipsam pertinentibus a Schola prorsus absoluta sit.

Cujus angelus ac princeps s. Thomas Aquinas tam accurate et subtiliter et copiose materiam istam pertractavit, ut nihil indefiniti reliquerit; ita ut novatores melius fecissent, discere antiqua, quam nova docere et antiquos calumniari.

Cui momento historico ut satisfaceremus, doctrinam satisfactionis et indulgentiae secundum s. Thomam tradidimus, cujus ejusdem auctoritate in rebus fidei ac philosophiae per-

multum confidimus; unde etiam libri titulus: »S. Thomae de satisfactione et indulgentia doctrina«.

Inest autem in ista doctrina etiam momentum valde practicum. Nam valde practicum est, quo modo et pro nobis et pro aliis cum vivis, tum maxime defunctis satisfacere et poenas peccatorum temporales solvere possimus; valde practicum etiam est, induci ad animum poenitendi in eoque contineri, purgari a peccatis commissis et a committendis praeservari, promoveri in vita gratiae et ad vitam gloriae perduci.

Ad haec autem omnia valent satisfactio et indulgentiae.

Sicut in opere, quod de donis Spiritus sancti tractat, ita etiam in hocce s. Thomam, quoad fieri potuit, ipsum loquentem fecimus, tum ut brevitati consuleremus, tum ut nostram in explicanda eius doctrina fidem ostenderemus.

Praeterea nemo miretur, quod, postquam in capite IV. et V. de sola satisfactione egimus, in capite VI. etiam de suffragiis in genere disseruimus. Fuit enim haec materiae amplificatio necessaria, ut tandem claresceret, quid illa dicendi ratio »per modum suffragii« significaret ac valeret.

Quae autem doctrinae s. Thomae capita definita non sunt, de iis idem ipse s. Doctor dicit: »Contra Summi Pontificis auctoritatem nec Hieronymus nec Augustinus nec aliquis ss. Doctorum suam sententiam defendit«.[1])

Denique ut pateret ea, quae inter doctrinam Ecclesiae et s. Thomae est, concordia, definitiones Ecclesiae, quae de materia proposita factae sunt, exhibuimus.

In his autem omnibus et singulis soli veritati studuimus juxta tesseram nostram: »Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate«, 2. Cor. XIII, 8.

Viennae, in festo s. Bonaventurae Ecclesiae doctoris die 14. Julii 1895.

---

[1]) S. theol. 2, 2 qu. 11 a 2 ad 3m. Cui protestationi Celsissimus ac Reverendissimus Ordinariatus Seccoviensis mandavit, ut habita ratione doctrinae s. Thomae in cap. VI. de suffragiis propositae adiiceretur: »Hodie communiorem theologorum sententiam docere, animas purgatorii pro vivis orare nec frustra ab iis invocari«; cui mandato ex pietate cessimus.

Index.

Pag.

Caput I: Materiae divisio 1
Caput II: De poena 1
Caput III: Remissa culpa atque reatu poenae aeternae nonnunquam reatus poenae temporalis remanet 20
Caput IV: Utrum homo Deo satisfacere possit necne 26
Caput V: Utrum homo alius pro alio satisfacere possit necne . . 41
Caput VI: Utrum suffragia per vivos facta etiam defunctis valeant necne 45
Caput VII: Quibus operibus satisfactionem fieri oporteat 82
Caput VIII: Quibus suffragiis animae purgatorii juvari possint . . 113
Caput IX: De thesauro meritorum in Ecclesia reposito 118
Caput X: Quid indulgentia sit 122
Caput XI: Indulgentiae tantum valent, quantum praedicantur . . 128
Caput XII: De causa dispensandi indulgentias 135
Caput XIII: Quis indulgentias dare possit 137
Caput XIV: De iis, quibus indulgentiae valent 143
Caput XV: Possintne indulgentiae etiam mortuis valere 147
Caput XVI: Sintne indulgentiae populo Christiano salutares . . . 152

BQ
6909
.W4

Caput I: Materiae tractandae divisio.

1. In disserendis satisfactione atque indulgentia ita versabimur, ut primo de satisfactione, deinde de indulgentia, quae satisfactionis supplementum est, agamus.

2. In tractatu de satisfactione primo quaeremus, quid poena sit, ut cuius reatum satisfactio supponat; deinde num remissa culpa ac reatu poenae aeternae deleto reatus poenae temporalis remaneat; tum num homo Deo satisfacere possit; tum num homo alius pro alio sive vivo sive defuncto satisfacere possit; denique quibus operibus pro vivis atque defunctis Deo satisfieri possit.

3. De indulgentia autem, satisfactionis supplemento, considerabimus primo fundamentum eius, quod thesaurus meritorum Christi et Sanctorum constituit; deinde indulgentiam secundum se; tum causam eius piam; tum quis dispensandi indulgentias potestate polleat; denique quis dispensatas recipere possit; postremo num usus indulgentiarum populo Christiano salaturis sit.

Caput II: De poena.

1. Ut a nominis vi exordiar, poena (graece ποινή) eiusdem stirpis est ac punire.

Inde illico sequitur, poenam correspondere culpae alicui eiusque recompensationem esse.

Recompensatur autem culpa quaelibet per inflictionem alicuius mali, quod malum ob culpam inflictum poena dicitur.

Est igitur poena species quaedam mali, scilicet privatio alicuius boni, »quod natum est et debet haberi«,[1]) ob aliquam culpam.

---

[1]) Mal. qu. 1 a 4 ad 10m.

2. Inde patet, reatum poenae esse effectum culpae sive peccati.

»Ex rebus naturalibus — inquit s. Thomas — ad res humanas derivatur, ut id, quod contra aliquid insurgit, ab eo detrimentum patiatur. Videmus enim in rebus naturalibus, quod unum contrarium vehementius agit altero contrario superveniente, propter quod ‚aquae calefactae magis congelantur', ut dicitur in I Meteor. cap. 12. Unde in hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur, ut unusquisque deprimat eum, qui contra ipsum insurgit.

Manifestum est autem, quod, quaecunque continentur sub aliquo ordine, sunt quodammodo unum in ordine ad principium ordinis; unde, quidquid contra ordinem aliquem insurgit, consequens est, ut ab ipso ordine et a principe ordinis (qui scilicet ordinis supremam curam gerit) deprimatur.

Cum autem peccatum sit actus inordinatus, manifestum est, quod, quicunque peccat, contra aliquem ordinem agit, et ideo ab ipso ordine consequens est, quod deprimatur; quae quidem depressio poena est.

Unde secundum tres ordines, quibus subditur humana voluntas, triplici poena potest homo puniri; primo quidem enim subditur humana natura ordini propriae rationis, secundo ordini exterioris hominis gubernantis vel spiritualiter vel temporaliter politice seu oeconomice (i. e. domestice); tertio subditur universali ordini divini regiminis.

Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, dum ille, qui peccat, agit et contra rationem et contra legem humanam et contra legem divinam.

Unde triplicem incurrit poenam: unam quidem a se ipso, quae est conscientiae remorsus, aliam vero ab homine, tertiam vero a Deo.«[1])

Prima et tertia poena, quarum utriusque auctor Deus est, uno quoque peccato incurritur, non tamen secunda, quia non unum quodque peccatum contra ordinem legis humanae est.

---

[1]) S. theol. 1, 2 qu. 87 a 1 c.

Praeterea bene attendendum est, supra assertum esse, reatum poenae esse effectum peccati; nam peccato fit homo dignus poena. Itaque poenae ipsius causa peccatum est solummodo dispositive.

»Poena quidem justa — inquit s. Thomas — esse potest et a Deo et ab homine inflicta; unde ipsa poena non est effectus peccati directe, sed solum dispositive. Sed peccatum facit hominem esse reum poenae, quod est malum; dicit enim Dionysius c. 4 De divinis nom., quod ‚punire non est malum, sed fieri poena dignum'. Unde reatus poenae directe ponitur effectus peccati.« [1])

3. Poena et culpa dividunt omne malum creaturae rationalis.

Etenim malum, ut supra diximus, est privatio alicuius boni, quod natum est et debet haberi.

Est autem bonum hominis, esse secundum rationem vel legem aeternam. Itaque malum hominis est, ordine rationis vel legis aeternae privari; quod fit per quodlibet peccatum, quod est actus inordinatus ideoque culpabilis creaturae habenti liberum arbitrium, quo actionum suarum domina est.

Culpa igitur est una species mali in rebus voluntariis et est malum actionis; altera vero species mali, ut dictum est, poena est atque haec quidem malum est ipsius agentis, qui ob culpam privatur bono debito.

Est autem secundum positivam Dei ordinationem, ut nullum aliud malum homo incursurus fuerit, nisi malum culpae praecessisset.

Praecessit autem culpa peccati originalis et secuta sunt mala poenae illius peccati; item praecedit culpa peccati actualis et item sequuntur mala poenae huius peccati.

Sic igitur manifestum est, omne malum creaturae rationalis sive intellectualis esse vel culpam vel poenam.

»Malum — inquit s. Thomas — privatio est boni et

---

[1]) Ibid. ad 2m.

non negatio pura; non enim omnis defectus boni est malum, sed defectus boni, quod natum est et debet haberi.«[1])

Hoc igitur bonum »in perfectione et actu consistit principaliter et per se. Actus autem est duplex: primus et secundus. Actus quidem primus est forma et integritas rei; actus autem secundus est operatio.

Contingit ergo malum esse dupliciter: uno modo per subtractionem formae aut alicuius partis, quae requiritur ad integritatem rei, sicut caecitas malum est et carere membro; alio modo per subtractionem debitae operationis, vel quia omnino non est vel quia debitum modum et ordinem non habet.

Quia vero bonum simpliciter est objectum voluntatis, malum, quod est privatio boni, secundum specialem rationem invenitur in creaturis rationalibus habentibus voluntatem.

Malum igitur, quod est per subtractionem formae et integritatis rei, habet rationem poenae; et praecipue supposito, quod omnia divinae providentiae et justitiae subdantur; de ratione enim poenae est, quod sit contraria voluntati.

Malum autem, quod consistit in subtractione debitae operationis in rebus voluntariis habet rationem culpae; hoc enim imputatur alicui in culpam, cum deficit a perfecta actione, cuius dominus est secundum voluntatem (liberam). Sic igitur omne malum in rebus voluntariis consideratum est poena vel culpa.«[2])

4. Ex dictis sequitur, poenam a culpa differre tripliciter: primo quidem, quod culpa est malum ipsius actionis et consequenter agentis, poena autem est malum ipsius agentis et consequenter actionis, quatenus privatio alicuius formae sive perfectionis vel integritatis rei in ipsam operationem redundat eiusque defectum inducit;[3]) secundo,

---

[1]) S. theol. 1 p. qu. 48 a 5 ad 1 m. — [2]) Ibid. corp. art.

[3]) Cf. S. theol. 1 p. qu. 49 a 1 c: »In actione causatur malum propter defectum alicuius principiorum actionis vel principalis agentis vel instrumentalis; sicut defectus in motu animalis potest contingere vel

quod culpa est secundum voluntatem, poena vero contra voluntatem; tertio denique, quod culpa est in agendo, poena vero in patiendo.

Nam omnis poena ab exteriori principio infligitur sive a Deo, ut auctore naturae et gratiae, sive ab homine legitimam potestatem habente, ut infra fusius exponetur.

5. Doctrinam hucusque propositam Doctor angelicus totam atque integram in Qqu. disput. De Malo, qu. 1 a 4 c his tradit verbis: »Natura rationalis (i. e. humana) vel intellectualis (i. e. angelica) quodam speciali modo se habet ad bonum et malum prae aliis creaturis; quia quaelibet alia creatura naturaliter ordinatur in aliquod particulare bonum (ideoque necessario); intellectualis autem natura (i. e. humana et angelica)[1]) sola apprehendit ipsam rationem boni communem (i. e. universalem) per intellectum et in bonum commune (i. e. universale) movetur per appetitum voluntatis; et ideo malum rationalis creaturae speciali quadem divisione dividitur per culpam et poenam.

Haec enim divisio non est mali, nisi secundum quod in rationali natura invenitur, ut patet ex auctoritate Augustini[2]) inducta, qui scilicet dicit in lib. De fide ad Petrum: ‚Geminum est creaturae rationalis malum: unum, quo voluntarie deficit a summo bono; alterum, quo in vita punitur‘;[3]) ex qua (auctoritate) etiam huiusmodi ratio accipi potest, quia scilicet de ratione culpae est, quod sit secundum voluntatem, de ratione autem poenae est, quod sit contra voluntatem. Voluntas autem in sola natura intellectuali invenitur.

Horum autem duorum distinctio sic potest accipi. Cum enim malum opponatur bono, necesse est, quod secundum divisionem boni dividatur malum. Bonum autem quandam

---

propter debilitatem virtutis motivae, ut in pueris, vel propter solam ineptitudinem instrumenti, ut in claudis.«

[1]) Si natura rationalis contra naturam intellectualem distinguitur, natura rationalis humanam, intellectualis angelicam significat; sin non distinguitur, rationalis sive intellectualis natura utramque significare potest, ut ex hoc ipso loco manifestum est.

[2]) Opus non est s. Augustini, sed s. Fulgentii ep. Rusp.

[3]) Arg. Sed contra.

perfectionem designat. Perfectio autem est duplex, scilicet prima, quae est forma vel habitus, et secunda, quae est operatio. Ad perfectionem autem primam, cuius usus est operatio, potest reduci omne illud, quo utimur operando.

Unde et e converso duplex malum invenitur: unum quidem in ipso agente, secundum quod privatur vel forma vel habitu vel quocunque, quod necessarium sit ad operandum; sicut caecitas vel curvitas tibiae quoddam malum est. Aliud vero malum est in ipso actu deficiente (scilicet a sua perfectione); sicut si dicamus, claudicationem esse aliquod malum.

Sicut autem in aliis contingit haec duo reperiri, ita et in natura intellectuali, quae per voluntatem operatur; in qua manifestum est, quod inordinata actio voluntatis habet rationem culpae; ex hoc enim aliquis vituperatur et culpabilis redditur, quod inordinatam actionem voluntarie operatur.

Est autem et in creatura intellectuali invenire malum secundum privationem formae aut habitus aut cuiuscunque alterius, quod posset esse necessarium ad bene operandum, sive pertineat ad animam sive ad corpus sive ad res exteriores; et tale malum secundum fidei catholicae sententiam necesse est, quod poena dicatur.

Sunt enim tria de ratione poenae. Quorum unum est, quod respectum habeat ad culpam; dicitur enim proprie aliquis puniri, quando patitur malum pro aliquo, quod commisit. Habet autem hoc traditio fidei, quod nullum nocumentum creatura nationalis potuisset incurrere neque quantum ad animam neque quantum ad corpus neque quantum ad aliqua exteriora, nisi peccato praecedente vel in persona (quod est peccatum actuale) vel saltem in natura (quod est peccatum originale sive naturae); et sic sequitur, quod omnis talis boni privatio, quo uti quis potest ad bene operandum, in hominibus poena dicatur, et pari ratione in angelis.

Et sic omne malum rationalis creaturae vel sub culpa vel sub poena continetur.

Secundum vero, quod pertinet ad rationem poenae, est, quod voluntati repugnet.

Voluntas enim unius cuiusque inclinationem habet in proprium bonum; unde privari proprio bono voluntati repugnat. Sciendum tamen est, quod poena tripliciter repugnat voluntati: quandoque quidem voluntati actuali, sicut cum quis se sciente sustinet aliquam poenam; quandoque vere est contra voluntatem habitualem, sicut cum alicui ignoranti subtrahitur aliquod bonum, de quo doleret, si sciret; quandoque vero solum contra naturalem inclinationem voluntatis, sicut cum quis privatur habitu virtutis, qui virtutem habere non vult; sed tamen naturalis inclinatio voluntatis est ad bonum virtutis.

Tertium vero esse videtur de rationae poenae, ut in quadam passione consistat.

Ea enim, quae contra voluntatem eveniunt, non sunt a principio intrinseco, quod est voluntas, sed a principio extrinseco, cuius effectus passio dicitur.

Sic igitur tripliciter poena et culpa differunt: primo quidem, quia culpa est malum ipsius actionis, poena autem est malum agentis. Sed haec duo mala aliter ordinantur in naturalibus et voluntariis; nam in naturalibus ex malo agentis sequitur malum actionis, sicut ex tibia curva sequitur claudicatio; in voluntariis autem e converso ex malo actionis, quod est culpa, sequitur malum agentis, quod est poena, divina providentia culpam per poenam ordinante (i. e. ad justitiae ordinem redigente).[1])

Secundo modo differt poena a culpa per hoc, quod est secundum voluntatem et contra voluntatem esse, ut patet per auctoritatem Augustini supra inductam; tertio vero per hoc, quod culpa est in agendo, poena vero in patiendo, ut patet per Augustinum, in I. libr. De libero arbitrio in principio, ubi culpam nominat malum, quod agimus, poenam vero malum, quod patimur.»[2])

---

[1]) Per se manifestum est, eiusmodo privationem, quae ex malo actionis sequitur, iterum in malum actionis redundare. — [2]) Mal. qu. 1 a 4 c.

6. »De ratione poenae — inquit supra s. Thomas — est, ut in quadam passione consistat. Ea enim, quae contra voluntatem eveniunt, non sunt a principio intrinseco, quod est voluntas, sed a principio extrinseco.» Hoc principium voluntati extrinsecum, ut supra indicavimus,[1]) triplex est, scilicet ipsa hominis natura, Deus, denique homo.

Neque enim quisquam impune contra naturam suam peccat, sed peccando haud parvas luit poenas.

Hae poenae in diminutione boni naturae humanae consistunt suntque, quatenus mentem debilitant, numero quattuor: videlicet ignorantia mentis, malitia voluntatis, infirmitas appetitus irascibilis, concupiscentia (scilicet effrenata) appetitus concupiscibilis; quae poenae primum quidem substracta justitia originali in ipsam naturam humanam invaserunt, sed magis adhuc peccatum actuale sequuntur ultrices.

»Per justitiam originalem — inquit s. Thomas — perfecte ratio continebat inferiores animae vires; et ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subjecta. Haec autem originalis justitia subtracta est per peccatum primi parentis. Et ideo omnes vires animae remanent quodammodo destitutae proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem; et ipsa destitutio vulneratio naturae dicitur.

Sunt autem quattuor potentiae animae, quae possunt esse subjecta virtutum, scilicet ratio, in qua est prudentia; voluntas, in qua est justitia; irascibilis (i. e. appetitus sensitivus irascibilis), in qua est fortitudo; concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiae; in quantum vero voluntas destituitur suo ordine ad bonum, est vulnus malitiae;[2]) in quantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad

---

[1]) Cf. Cap. II, 2 et 4 in fin., ubi duo priora poenae principia continentur sub Deo, auctore naturae et gratiae.

[2]) »Malitia non sumitur hic pro peccato (malitiae), sed pro quadam pronitate voluntatis ad malum, secundum quod dicitur Gen. VIII, 21: »Proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua« ad 2m. Malitia plerumque accipitur cum pro habitu vitioso, tum maxime pro

arduum, est vulnus infirmitatis;[1]) in quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione,[2]) est vulnus concupiscentiae.

Sic igitur ista quattuor sunt vulnera inflicta toti humanae naturae ex peccato primi parentis.

Sed quia inclinatio ad bonum virtutis in uno quoque diminuitur per peccatum actuale, ut ex dictis (a. 1 et 2 praeced.) patet, etiam ista sunt quattuor

---

ipsa mali electione, quae vel ex habitu vitioso vel ex contemptu fit, quod posterius praecipue in peccatis contra Spiritum sanctum invenitur. Itaque peccata ex malitia dividuntur contra peccata ex ignorantia et ex passione.

»Malitia — inquit s. Thomas in S. theol. 1, 2 qu. 78 a 2 ad 3 m — ex qua aliquis dicitur peccare, potest intelligi malitia habitualis, secundum quod habitus malus a Philosopho (3. Ethic. c. 1) nominatur malitia, sicut habitus bonus nominatur virtus; et secundum hoc dicitur aliquis ex malitia peccare, quia peccat ex inclinatione habitus. Potest etiam intelligi malitia actualis sive ipsa mali electio; et sic dicitur aliquis ex malitia peccare, in quantum ex mali electione peccat», i. e. quamvis actu sciat, malum morale esse id, quod eligit. Omnis quidem malus est ignorans secundum Philosophum (3. Ethic. c. 1); et Prov. XIV, 22 dicitur: »Errant, qui operantur malum«. Ergo nullus videtur peccare ex certa malitia, cum ignorantia industriae sive certae malitiae opponatur (ibid. 1 m). At vero »ignorantia quandoque quidem excludit scientiam, qua aliquis simpliciter scit, hoc esse malum, quod agitur, et tunc dicitur ex ignorantia peccare (quia scilicet quamquam ex culpa propria, tamen omnino nescit ideoque etiam actu considerare nequit, aliquid esse malum). Quandoque autem excludit scientiam, qua homo scit hoc nunc esse malum, sicut cum ex passione peccatur (quae scilicet impedit, quominus actu consideret, quod habitu scit). Quandoque autem excludit scientiam, qua aliquis scit, hoc malum non sustinendum esse propter consecutionem illius boni; scit tamen simpliciter (videl. non tantum habitu, sed etiam actu, quando eligit), hoc esse malum; et sic dicitur ignorare, qui ex certa malitia peccat« (ibid. ad 1 m). Cf. ibid. o.; 2, 2 qu. 14 a 1 c in fin. et ad 3 m et a 4 c a princ.

[1]) »Infirmitas communiter potest dici omnis passio, in quantum debilitat robur animae et impedit rationem. Sed Beda accipit infirmitatem stricte, secundum quod opponitur fortitudini, quae pertinet ad irascibilem« (ad 4 m).

[2]) »Concupiscentia in tantum est naturalis homini, in quantum subditur rationi; quod autem excedat limites rationis, hoc est homini contra naturam« (ad 3 m).

vulnera ex aliis peccatis consequentia, in quantum scilicet per peccatum et ratio hebetatur praecipue in agendis et voluntas induratur ad bonum et major difficultas bene agendi accrescit et concupiscentia magis exardescit.« [1])

Illam autem boni naturae diminutionem Doctor angelicus sic explicat.

»Bonum naturae humanae — inquit — potest tripliciter dici: primo ipsa principia naturae, ex quibus ipsa natura constituitur, et proprietates ex his causatae, sicut potentiae animae et alia huiusmodi. Secundo quia homo a natura habet inclinationem ad virtutem, ut supra (1, 2 qu. 63 a 1) habitum est. Ipsa autem inclinatio ad virtutem est quoddam bonum naturae. Tertio modo potest dici bonum naturae donum originalis justitiae, quod fuit in primo homine collatum toti naturae humanae.

Primum igitur bonum naturae nec tollitur nec diminuitur per peccatum. Tertium vero bonum naturae totaliter ablatum est per peccatum primi parentis. Sed medium bonum naturae, scilicet ipsa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum. Per actus enim humanos fit quaedam inclinatio ad similes actus, ut supra (1, 2 qu. 51 a 2) dictum est. Oportet autem, quod ex hoc, quod aliquid inclinatur ad unum contrariorum, diminuatur inclinatio eius ad aliud. Unde cum peccatum sit contrarium virtuti, ex hoc ipso, quod homo peccat, diminuitur bonum naturae, quod est inclinatio ad virtutem.» [2])

Haec tamen naturalis ad virtutem inclinatio non potest per peccatum tota auferri, quantumvis diminuatur.

Diminuitur enim quoad terminum suum, qui est bonum virtutis, non tamen quoad radicem suam, quae est immutabilis natura rationalis. [3])

Inde fit, ut naturalis habitus principiorum moralium, qui synderesis [4]) vocatur, corrumpi nequeat; quam ob rem

---

[1]) S. theol. 1, 2 qu. 85 a 3 c.

[2]) Ibid. a 1 c.

[3]) Cf. ibid. a 2 c et ad 1 m—2 m.

[4]) Cf. ibid. 1 p. qu. 79 a 12.

remorsus conscientiae, qui etiam poena quaedam peccati est, nunquam sopiri penitus potest.[1])

7. Sed peccata non tantum bonum mentis, sed etiam corporis diminuunt.

Etenim passiones animae, quae sunt motus appetitus sensitivi atque in homine oboedire natae sunt rationi, semper transmutationem corporalem habent adjunctam, quae est ipsarum quasi materiale, cum formale ipse motus appetitus sit.[2])

Sed passio si modum rectae rationis excedit, ex parte istius transmutationis corpori molesta ac noxia evadit[3]) ideoque poenalis est, cum praeter voluntatem accidat.

»Anxietates passionum — inquit s. Thomas — consequuntur in peccante praeter voluntatem; eligit etenim iracundus sic insurgere in punitionem alterius, ut ipse ex hoc nullam anxietatem vel laborem pateretur; unde cum in ista incurrat praeter suam voluntatem, hoc ad rationem poenae pertinet.«[4])

8. Quas hucusque enarravimus poenas, s. Thomas inter poenas ipsum peccatum comitantes sive consequentes refert.

»Duplex — inquit — est poena peccati: quaedam, quae pro peccato infligitur, sicut poena inferni et flagella, quibus a Deo temporaliter punimur; quaedam ex ipso peccato consequens immediate et per consequens ad peccatum ordinans, sicut est debilitatio naturae ad resistendum peccato et huiusmodi.»[5])

Quas poenas hic consequentes vocat, comitantes easdem alias nominat.

---

[1]) Cf. ibid. 1, 2 qu. 85 a 2 ad 3m: »Etiam in damnatis manet naturalis inclinatio ad virtutem; alioquin non esset in eis remorsus conscientiae. Sed quod non reducatur in actum, contingit, quia deest gratia secundum justitiam divinam; sicut etiam in caeco remanet aptitudo ad videndum in ipsa radice naturae, in quantum est animal naturaliter habens visum; sed non reducitur in actum, quia deest causa, quae reducere possit, formando organum, quod requiritur ad videndum.«

[2]) Cf. S. theol. 1, 2 qu. 22 a 2 ad 3m et a 3 c.

[3]) Cf. ibid. qu. 37 a 4 c. — [4]) Mal. qu. 1 a 4 ad 4m.

[5]) 4 dist. 2 qu. 1 a 1 quaest. 3 sol. 3.

»Peccatum — inquit s. Thomas — habet poenam concomitantem dupliciter: uno quidem modo, sicut a qua (scilicet poena) quodammodo dependet; sicut, cum aliquis propter culpam praecedentem a gratia deseritur, ex hoc sequitur ipsum peccare. Unde ipsum peccatum dicitur poena ratione desertionis gratiae, a qua quodammodo dependet; et sic primum peccatum non potest dici poena, sed peccata sequentia.

Alio modo peccatum habet poenam concomitantem, quae consequitur ex ipso, sicut est separatio a Deo vel privatio gratiae vel inordinatio agentis vel anxietas passionis seu laboris.« [1])

»Sicut culpae redditur duplex poena: una, quae comitatur ipsam culpam, ut conscientiae remorsus et huiusmodi, secundum quod Augustinus dicit in l. 1 Conf. c. 12, quod »inordinatus animus sibi ipsi est poena«; alia, quae infligitur exterius a judice Deo vel homine; ita etiam duplex est praemium respondens merito: unum, quod comitatur ipsum actum meritorium, ut ipsa delectatio boni operis et similia; aliud, quod pro bono opere redditur a Deo vel homine, ut vita aeterna et quidquid hoc modo redditur.« [2])

9. Ex loco penultimo manifestum est, s. Thomam etiam privationem gratiae in poenis comitantibus sive consequentibus numerare. Cuius rei ratio inde patet, quod gratia gratum faciens per modum naturae homini datur, ad cuius destructionem peccatum mortale non tantum demeritorie, sed etiam effective[3]) operatur, sicut ad diminutionem naturae effective operatur.

Cuius effectivae operationis rationem s. Thomas ita explicat.

---

[1]) Mal. qu. 1 a 4 ad 5 m; cf. ad 1 m—3 m; cf. S. theol. 1, 2 qu. 87 a 2 c. — [2]) 2 dist. 27 qu. 1 a 5 sol.

[3]) Cf. Mal. qu. 2 a 9 ad 2 m: »Mors animae est privatio gratiae, per quam anima Deo uniebatur; privatio autem gratiae non est essentialiter ipsa culpa, sed effectus culpae et poena. Unde peccatum dicitur mors animae non essentialiter, sed effective.«

Ibid. ad 6 m: »Peccatum essentialiter non est privatio gratiae, sed causaliter.«

»Considerandum — inquit — est, quot modis aliquid agere dicatur. Dicitur autem proprie quidem agere ipsum agens, quod actum producit, abusive autem (sive improprie) id, quo agens agit; sicut proprie quidem pictor facit album parietem; sed quia facit album per albedinem, consuevit etiam dici, quod albedo facit album. Quot ergo modis id, quod proprie est agens, dicitur agere, tot etiam modis agere dicitur abusive id, quo agens agit. Agens autem principaliter dicitur agere aliquid et per se et per accidens: per se quidem, quod agit secundum propriam formam, per accidens autem, quod agit removendo prohibens; sicut per se quidem illuminat domum sol, per accidens vero, qui aperit fenestram, quae erat obstaculum lumini.

Rursus principale agens dicitur aliquid agere primo et aliquid consequenter; sicut generans primo quidem dat formam, consequenter autem dat motum et omnia, quae consequuntur ad formam; unde generans dicitur movens gravium et levium, ut dicitur in 8 Phys. com. 32.

Quod autem dictum est in effectibus positivis, similiter oportet intelligi quantum ad effectus privationis; sic enim corrumpens et diminuens est movens, sicut et generans et augens. Unde manifeste accipi potest, quod, sicut removens obstaculum luminis dicitur per accidens illuminare et etiam ipsa remotio obstaculi, abusive tamen; ita etiam ponens obstaculum lumini dicitur obtenebrare et etiam ipsum obstaculum. Sicut autem lumen a sole diffunditur in aërem, ita gratia a Deo infunditur animae; quae quidem est supra naturam animae et tamen in natura animae vel cuiuscunque naturae rationalis est aptitudo quaedam ad gratiae susceptionem, et per gratiam susceptam fortificatur in debitis actibus. Peccatum autem est quoddam obstaculum interpositum inter Deum et animam secundum illud Is. LIX, 2: ‚Peccata[1]) vestra diviserunt inter vos et Deum vestrum'.

[1]) In Vulgata nunc legitur: »Iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis.«

Cuius ratio est, quia, sicut interior aër domus non illuminatur a sole, nisi directe aspiciat solem — et hoc dicitur illuminationis obstaculum, quod huiusmodi respectus rectitudinem impedit — ita anima non potest illuminari a Deo per gratiae susceptionem, nisi directe convertatur in ipsum. Hanc autem conversionem impedit peccatum, quod convertit animam in oppositum, quod scilicet est contra legem Dei. Unde manifestum est, quod peccatum est obstaculum quoddam impediens gratiae susceptionem (sicut etiam tollens gratiam infusam, cum supervenit.«[1])

Sic igitur peccatum causa privationis gratiae per accidens est, utpote avertens animam a Deo sicque impediens, quo minus Deus gratiam amplius influendo conservet.[2])

10. Inter poenas peccatum comitantes s. Thomam etiam peccatum sequens referre audivimus.

»De peccato — inquit s. Thomas — dupliciter loqui possumus: per se scilicet et per accidens.

Per se quidem nullo modo peccatum potest esse poena peccati. Peccatum enim per se consideratur, secundum quod egreditur a voluntate; sic enim habet rationem culpae. De ratione autem poenae est, quod sit contra voluntatem. Unde manifestum est, quod peccatum, per se loquendo, nullo modo potest esse poena peccati,

Per accidens autem peccatum potest esse poena peccati ex parte causae, quae est remotio prohibentis. Sunt enim causae inclinantes ad peccatum passiones, tentatio diaboli et alia huiusmodi; quae quidem causae impediuntur per auxilium divinae gratiae, quae subtrahitur per peccatum. Unde cum ipsa subtractio (gratiae tum habitualis tum actualis) sit quaedam poena et a Deo, ut supra dictum est.[3]) sequitur, quod per accidens etiam peccatum, quod ex hoc sequitur, poena dicatur. Et hoc modo loquitur Apostolus Rom. I, 24 dicens: ‚Propter quod tradidit illos Deus

---

[1]) Mal. qu. 2 a 11 c.

[2]) Privatio nitoris spiritualis cum rationis tum maxime gratiae ex peccato proveniens dicitur macula. Cf. S. theol. 1, 2 qu. 86 a 1 c 2, o.

[3]) Cf. S. theol. 1, 2 qu. 79 a 3 c et ad 1 m et ad 3 m.

in desideria cordis eorum', quae sunt animae passiones, quia scilicet deserti homines ab auxilio divinae gratiae vincuntur a passionibus. Et hoc modo semper peccatum dicitur esse poena praecedentis peccati.« [1])

Sed si peccatum non formaliter, ut peccatum sive voluntaria a lege aeterna deordinatio est, sed materialiter sive secundum substantiam actus[2]) consideratur, sic peccatum per se est causa peccati sequentis, quatenus dispositionem sive habitum ad similes actus inducit.

»Contingit — inquit s. Thomas — unum peccatum esse causam alterius . . . per se, sicut cum ex uno actu peccati homo disponitur ad hoc, quod alium actum consimilem facilius committit; ex actibus enim causantur dispositiones et habitus inclinantes ad similes actus.« [3])

Ceterum haec poena peccati, scilicet dispositiones et habitus vitiosi, sub vulnere peccati, quod est malitia, continetur.[4])

11. Poenae igitur peccatum ipsum comitantes sive consequentes sunt hae: ignorantia, malitia, infirmitas, concupiscentia, remorsus conscientiae, passionum anxietates laboresque, privatio gratiae gratum facientis, sequens denique peccatum; quarum ceterae quidem, cum ex indole naturae humanae eveniant, mediate a Deo, naturae rerum institutore, sunt; subtractio autem gratiae et habitualis et actualis, ex qua peccatum quoque per accidens tamquam poena sequitur, immediate a Deo est, utpote gratiarum auctore, quamvis indirecte et dispositive culpa peccati eam causetur.

»Deus — inquit s. Thomas — est causa universalis illuminationis animarum secundum illud Joa. I, 9: ‚Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sicut sol est universalis causa illuminationis corporum: aliter tamen et aliter; nam sol agit illuminando per

---

[1]) Ibid. qu. 87 a 2 c.

[2]) Peccatum materialiter consideratum est actus physicus, cui deordinatio tamquam formale adjungitur. Cf. S. theol. 1, 2 qu. 79 a 2 c et ad 2m—3m.

[3]) Ibid. qu. 75 a 4 c. — [4]) Cf. supra 6.

necessitatem naturae, Deus autem agit voluntarie per ordinem suae sapientiae. Sol autem, licet, quantum est de se, omnia corpora illuminet, si quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum, sicut patet de domo, cuius fenestrae sunt clausae; sed tamen illius obscurationis nullo modo causa est sol; non enim suo judicio agit, ut lumen interius non immittat, sed causa eius est solum ille, qui claudit fenestram. Deus autem proprio judicio lumen gratiae non immittit illis, in quibus obstaculum invenit. Unde causa subtractionis gratiae est non solum ille, qui ponit obstaculum gratiae, sed etiam Deus, qui suo judicio gratiam non apponit.« [1])

12. Praeter poenas ex peccato consequentes sunt aliae quoque, quae a Deo pro peccato infliguntur, scilicet flagella temporalia et poena inferni.

Has poenas s. Thomas inflictas vocat et contra poenas consequentes dividit, ut supra audivimus.[2])

13. Denique poenas a potestate quoque humana sive ecclesiastica sive civili infligi manifestum et supra probatum est.[3])

»Subditur enim homo (scilicet ut socialis) ordini exterioris hominis gubernantis vel spiritualiter vel temporaliter politice seu oeconomice (i. e. domestice).« [4])

Itaque homo, si contra ordinem societatis ecclesiasticae vel civilis sive domesticae peccat, a legitima potestate, quae curam boni communis gerit, temporalem poenam incurrat necesse est.

14. Quae poena, si rationabilis ac justa est, sicut poena divina, »dupliciter culpam ordinat, scilicet satisfaciendo sive solvendo debitum, et ut medicina sanans vel resecans membrum insanabile.« [5])

»Poenae enim — inquit s. Thomas — praesentis vitae non per se expetuntur, quia non est hic ultimum retributionis tempus, sed in quantum sunt medicinales conferentes vel ad emendationem personae peccantis vel ad bonum

---

[1]) S. theol. 1, 2 qu. 79 a 3 c. — [2]) Cf. 8. — [3]) Cf. 2.

[4]) S. theol. 1, 2 qu. 87 a 1 c. — [5]) 4 dist. 4 qu. 2 a 1 quaest. 2 ad 2m; cf. Conc. Trid. Sessio XIV, cap. 8.

rei publicae (sive commune), cuius quies procuratur per punitionem peccantium.« [1])

Unde fit, ut poena in hac vita non secundum quantitatem culpae tantum taxetur, sicut in vita altera, ubi solum debitum solvendum est, sed etiam prout medicinalis est et saluti tum peccantis tum aliorum et maxime societatis conducit. Itaque nonnunquam maior, nonnumquam minor poena, quam culpae gravitas exigit, in peccantes statuitur iisdemque infligitur.

»Poenae — inquit s. Thomas — quae inferuntur a Deo in futura vita, respondent gravitati culpae; unde Apostolus Rom. II, 2 dicit, quod »judicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt«. Sed poenae, quae in praesenti vita infliguntur sive a Deo sive ab homine, non semper respondent gravitati culpae. Interdum enim minor culpa graviori poena punitur temporaliter propter majus periculum evitandum; poenae enim praesentis vitae quasi medicinae adhibentur.« [2])

Gravior autem poena imponitur maxime propter peccandi consuetudinem, pronitatem, facilitatem.

»Non solum — inquit s. Thomas — propter gravitatem culpae, sed etiam propter alias causas gravis poena infligitur: (sane) primo quidem propter quantitatem peccati, quia majori peccato ceteris paribus poena gravior debetur; secundo (vero) propter peccati consuetudinem, quia a peccatis consuetis non facile homines abstrahuntur nisi per graves poenas; tertio propter multam concupiscentiam vel delectationem in peccato: ab his enim non de facili

---

[1]) S. theol. 2, 2 qu. 68 a 1 c; cf. ibid. 1, 2 qu. 79 a 4 ad 1 m, ubi in universum de divina malorum inflictione sive permissione dicitur: »Omnia mala, quae Deus facit vel permittit fieri, ordinantur ad aliquod bonum, non tamen semper in bonum eius, in quo est malum, sed quandoque ad bonum alterius vel etiam totius universi, sicut culpam tyrannorum in bonum martyrum et poenam damnatorum ad gloriam justitiae suae.«

[2]) Mal. qu. 2 a 10 ad 4 m; cf. S. theol. 2, 2 qu. 66 a 6 ad 2 m: »Poenae praesentis vitae magis sunt medicinales, quam retributivae. Retributio enim reservatur divino judicio, quod est secundum veritatem in peccantes.«

homines abstrahuntur nisi propter graves poenas; quarto propter facilitatem committendi peccatum et jacendi in ipso; huiusmodi enim peccata, quando manifestantur, sunt magis punienda ad aliorum terrorem.«[1])

Alias autem addit: »Quantum ad remedium vel illius, qui peccavit, vel aliorum ... quandoque pro minori peccato major injungitur poena, ... quia in uno peccatum est periculosius, sicut in sacerdote, quam in alio.«[2]) »Episcopus enim vel sacerdos (et idem dic proportionaliter de quocunque alio, qui praeest) cum majori periculo suo et aliorum peccat; et ideo sollicitius retrahunt ipsum canones a peccato, quam alios, majorem poenam injungendo, secundum quod est in remedium, quamvis quandoque non debeatur tanta ex debito; unde et in purgatorio non tota ab eo exigitur.«[3])

Sed propter eandem rationem medicinae etiam nonnumquam minor poena imponitur, quando scilicet specialis ratio personae vel boni communis id suadet.

»Poena — inquit s. Thomas — in foro poenitentiae quantum ad utrumque, scilicet ad debitum solvendum et ad remedium praestandum, taxanda est; et ideo non semper pro majori peccato major poenitentia imponitur.«[4])

Sed quod de foro poenitentiae, id de alio quocunque foro praesentis vitae dicendum esse ex dictis satis superque manifestum est.

Ex dictis simul sequitur, eum, cui sacerdos propter adhibendam medicinam majorem debita poenam imponit, in altera vita non totam poenam impositam luere debere, si scilicet e vita mortali migraverit, antequam eam expleverit.

»Poenitens — inquit s. Thomas — cui major con-

---

[1]) S. theol. 1, 2 qu. 105 a 2 ad 9m.

[2]) 4 dist. 20 a 2 quaest. 1 sol. 1. — [3]) Ibid. ad 3m.

[4]) Ibid. sol. 1; cf. ibid. quaest. 2 ad 3m: »Sacerdos minorem condigno poenitentiam injungens non semper peccat — quia quandoque etiam ex iudustria minorem poenitentiam imponens plus prodest poenitenti, quam noceat, qui forte magnitudine poenae posset a poenitentia peragenda impediri propter debilitatem virtutis in eo de novo recuperatae; et ideo negligit minus damnum, ut majus evitet.«

digno poenitentia injuncta est, tenetur eam explere ex sacerdotis injunctione, qui non solum debitum poenae considerat, sed peccato (etiam) remedium adhibet; unde post hanc vitam non exigitur ab eo tota, sed solum quantum sufficit ad debitum solvendum.«[1])

15. Quod autem poenales[2]) medicinae in universum adhibendae sunt ad salutem hominum, id ex peccato originali est, quo natura humana corrupta est.

»Si — inquit s. Thomas — loquamur de poena simpliciter, secundum quod habet rationem poenae, sic semper habet ordinem ad culpam propriam, sed quandoque quidem ad culpam actualem, puta quando aliquis vel a Deo vel ab homine pro peccato commisso punitur; quandoque vero ad culpam originalem et hoc quidem vel principaliter vel consequenter. Principaliter quidem poena originalis peccati est, quod natura humana sibi relinquitur destituta auxilio originalis justitiae; sed ad hoc consequuntur omnes poenalitates, quae ex defectu naturae hominibus contingunt.

Sciendum tamen est, quod quandoque aliquid videtur poenale, quod tamen non habet simpliciter rationem poenae. Poena enim species mali est. Malum autem est privatio boni. Cum autem sint plura hominis bona, scilicet animae, corporis et exteriorum rerum, contingit interdum, quod homo patiatur detrimentum in minori bono, ut augeatur in majori; sicut cum patitur detrimentum pecuniae propter sanitatem corporis vel in utroque horum propter salutem animae et propter gloriam Dei; et tunc tale detrimentum non est simpliciter malum hominis, sed secundum quid (i. e. aliqua tantum ratione); unde non habet simpliciter rationem poenae, sed medicinae; nam et medici austeras potiones propinant infirmis, ut conferant sanitatem.[3])

---

[1]) Ibid. ad 2m.

[2]) Poenales dicuntur, in quantum contra voluntatem saltem naturalem sunt atque ad culpam saltem originalis peccati referuntur.

[3]) Cf. S. theol. 3 p. qu. 69 a 3.

Et quia huiusmodi non proprie habent rationem poenae, non reducuntur ad culpam sicut ad causam, nisi pro tanto, quia hoc ipsum, quod oportet humanae naturae medicinas poenales adhibere, est ex corruptione naturae, quae est poena originalis peccati. In statu enim innocentiae non oportuisset aliquem ad profectum virtutis inducere per poenalia exercitia. Unde hoc ipsum, quod est poenale in talibus, reducitur ad originalem culpam sicut ad causam.« [1])

Caput III: Remissa culpa atque reatu poenae aeternae nonnumquam reatus poenae temporalis remanet.

1. Supra dictum est, poenam quamlibet huius vitae duplicem habere rationem, videlicet recompensationis violati ordinis justitiae atque remedii peccati, sive hoc remedium cedit in utilitatem peccantis, sive in bonum commune societatis.[2])

Missa ratione poenae medicinali altera eius ratio nos nunc occupabit, quatenus scilicet poena recompensatio violati ordinis est.

2. Peccatum, quatenus ordinem legis divinae violat, reum poenae divinae peccantem facit.[3])

Est autem haec inter peccata differentia, quod alia reatum poenae aeternae, alia reatum poenae temporalis inducunt; quorum illa mortalia, ista venialia dicuntur.

Reatum poenae aeternae inducit aliquod peccatum, quod de se irreparabile est. Irreperabile autem de se est unum quodque peccatum, quod a principio ordinis deordinat, quod finis ultimus est, cui homo per charitatem inhaeret. Quodcunque igitur peccatum charitatem aufert, de se irreperabile est, quia reparari nequit per principium intrinsecum vitae spiritualis, quae charitas est, quamvis per principium extrinsecum, scilicet divinam virtutem, reparari

---

[1]) S. theol. 1, 2 qu. 87 a 7 c. — [2]) Cf. cap. II, 13—14.
[3]) Cf. cap. II, 2.

possit, quae omnem morbum et corporalem et spiritualem potest reparare.[1])

»Peccatum — inquit s. Thomas — ex hoc inducit reatum poenae, quod pervertit aliquem ordinem. Manente autem causa manet effectus; unde, quamdiu perversitas ordinis remanet, necesse est, quod remaneat reatus poenae.

Pervertit autem aliquis ordinem quandoque quidem reparabiliter, quandoque autem irreparabiliter. Semper enim defectus, quo subtrahitur principium, irreparabilis est; si autem salvetur principium, eius virtute defectus reparari possunt; sicut, si corrumpatur principium visivum, non potest fieri reparatio, nisi sola virtute divina; si vero salvo principio visivo aliqua impedimenta adveniant visionis, reparari possunt per naturam vel per artem. Cuiuslibet autem ordinis est aliquod principium, per quod aliquis fit particeps illius ordinis. Et ideo, si per peccatum corrumpatur principium ordinis, quo voluntas hominis subditur Deo, erit inordinatio, quantum est de se, irreparabilis, etsi reparari possit virtute divina.

Principium autem huius ordinis est ultimus finis, cui homo inhaeret per charitatem. Et ideo, quaecunque peccata avertunt a Deo charitatem auferentia, quantum est de se, inducunt reatum aeternae poenae.«[2])

3. Inde sequitur, illa peccata, quae non fini ultimo contrariantur nec charitatem excludunt, non inducere nisi reatum poenae temporalis.

»Peccatum — inquit s. Thomas — causat reatum poenae aeternae, in quantum irreparabiliter repugnat ordini divinae justitiae, per hoc scilicet, quod contrariatur ipsi principio ordinis, quod est ultimus finis.

Manifestum est autem, quod in quibusdam peccatis est quidem aliqua inordinatio, non tamen per contrarie-

---

[1]) Cf. S. theol. 1, 2 qu. 88 a 1 c.

[2]) S. theol. 1, 2 qu. 87 a 3 c; cf. ibid. qu. 72 a 5 c.

tatem ad ultimum finem, sed solum circa ea, quae sunt ad finem, in quantum plus vel minus debite eis intenditur, salvato tamen ordine ad ultimum finem: puta, cum homo, etsi nimis ad aliquam rem temporalem afficiatur, non tamen pro ea vellet Deum (graviter) offendere, aliquid contra eius praeceptum faciendo. Unde huiusmodi peccatis non debetur aeterna poena, sed temporalis.«[1])

Per accidens etiam venialis peccati poena aeterna est, quando scilicet in damnatis invenitur. Sed talis poena non debetur ratione gravitatis culpae, sed ratione condicionis subjecti, scilicet hominis, qui sine gratia invenitur, per quam gratiam solam fit remissio poenae.

»Aeternitas — inquit s. Thomas — poenae (peccati venialis in damnatis) non respondet quantitati culpae, sed irremissibilitati ipsius.«[2])

4. Sicut ex mox dictis iam manifestum est, reatus poenae tam diu manet, quam diu culpa non deletur.

»Planum est — inquit s. Thomas alio loco — quod cessante actu peccati remanet reatus (poenae) in omnibus peccatis actualibus. Actus enim peccati facit hominem reum poenae, in quantum transgreditur ordinem justitiae, ad quem non redit nisi per quandam recompensationem poenae, quae ad aequalitatem justitiae reducit, ut scilicet, qui plus voluntati suae indulsit, quam debuit, contra mandatum Dei agens, secundum ordinem divinae justitiae aliquid contra illud, quod vellet, spontaneus vel invitus patiatur.

---

[1]) Ibid. a 5 c; cf. ibid. qu. 88 a 1, o. Venialiter peccantem non facere contra praeceptum legis ita interpretandum est, eum non evertere finem legis, quamvis praetermittat modum a lege intentum. Cf. ibid. ad 1m; cf. etiam ibid. qu. 74 a 10 ad 1m; denique Mal. qu. 7 a 10 c.

[2]) Ibid. ad 3m. Arg. 3m est hoc: »Peccato non debetur major poena ex hoc, quod alteri peccato adjungitur, cum utrumque peccatum suam habeat poenam taxatam secundum divinam justitiam. Sed peccato veniali debetur poena aeterna, si cum mortali peccato inveniatur in aliquo damnato, quia in inferno nulla esse potest remissio. Ergo peccato veniali simpliciter debetur poena aeterna. Nulli ergo peccato debetur poena temporalis.«

Quod etiam in injuriis hominibus factis observatur, ut per recompensationem poenae redintegretur aequalitas justitiae.

Unde patet, quod cessante actu peccati vel injuriae illatae adhuc remanet debitum poenae.« [1])

5. Sed etiam ablata culpa potest remanere reatus poenae temporalis cum in peccatis venialibus, tum maxime in mortalibus.

Quod ex s. Scriptura manifestum est. Cum enim David rex poenitens ad Nathan prophetam dixisset: »Peccavi Domino«, Nathan ad eum dixit: »Dominus quoque transtulit peccatum tuum; non morieris. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.« [2])

Cuius ordinationis divinae s.Thomas rationem hanc reddit:

»In peccato mortali sunt duo, scilicet aversio ab incommutabili bono et conversio ad bonum commutabile inordinata.

Ex parte ergo aversionis ab incommutabili bono consequitur peccatum mortale reatus poenae aeternae, ut, qui contra aeternum bonum peccavit, in aeternum puniatur; ex parte etiam conversionis ad bonum commutabile, in quantum est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus alicuius poenae, quia inordinatio culpae non reducitur ad ordinem justitiae nisi per poenam; justum enim est, ut, qui voluntati suae plus indulsit, quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur; sic enim erit aequalitas. Unde Apoc. XVIII, 7 dicitur: »Quantum glorificavit sè et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum«.

Quia tamen conversio ad bonum commutabile est finita, non habet ex hac parte peccatum mortale, quod debeatur ei poena aeterna. Unde, si sit inordinata conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, sicut est in peccatis venialibus, non debetur peccato poena aeterna, sed temporalis.

---

[1]) Ibid. a 6 c.

[2]) 2 Reg. c. XII, 13—14; cf. S. theol. 1, 2 qu. 87 a 6 Sed contra; 3 p. qu. 86 a 4 Sed contra.

Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur aversio animae a Deo, in quantum per gratiam anima Deo conjungitur. Unde et per consequens simul tollitur reatus poenae aeternae; potest tamen remanere reatus alicuius poenae temporalis.«[1])

6. Similiter Doctor angelicus condonata culpa peccati venialis posse remanere reatum poenae temporalis docet.

Objicit enim sibi ipse ibidem qu. 87 a 3, 3m: »Peccata venialia inducunt reatum alicuius poenae, licet temporalis; dicitur enim 1 Cor. III, 15 de eo, qui superaedificat lignum, foenum et stipulam, quod ‚salvus erit, sic tamen quasi per ignem'. Sed huiusmodi (scilicet aspersio aquae benedictae, episcopalis benedictio aliaque similia), per quae dicitur peccatum veniale dimitti, vel nullam vel minimam poenam in se habent. Ergo non sufficiunt ad plenam remissionem venialium peccatorum.«[2])

Ad quod respondet »dicendum, quod per praedicta tolluntur quidem peccata venialia quantum ad culpam tum virtute alicuius satisfactionis, tum etiam virtute charitatis, cuius motus per praedicta excitatur; non autem per quodlibet praedictorum semper tollitur totus reatus poenae, quia sic, qui esset omnino immunis a peccato mortali, aspersus aqua benedicta statim evolaret (scilicet in coelum); sed reatus poenae remittitur per praedicta secundum motum fervoris in Deum, qui per praedicta excitatur quandoque magis, quandoque autem minus.«[3])

7. Poena temporalis, quae expiata peccati macula exsolvenda remanet, rationem poenae simpliciter exuit; nam ad rationem poenae simpliciter pertinet, quod est contra voluntatem. Sed si quis poenitens ad Deum se convertit, ordinem divinae justitiae poenam temporalem imponentis acceptat ideoque poena iam contra voluntatem actualem esse desinit. Secundum quid tamen haec poena satisfactoria, ut dicitur, remanet involuntaria, quia contra naturalem

---

[1]) S. theol. 3 p. qu. 86 a 4 c; cf. ibid. ad 1m—2m; 1, 2 qu. 87 a 6 c.

[2]) S. theol. 3 p. qu. 87 a 3, 3m.

[3]) Ibid. ad 3m; cf. Mal. qu. 7 a 12 ad 4m in fine.

inclinationem voluntatis est[1]) ideoque voluntas eam non acceptaret, nisi culpa praecessisset.

»Si loquamur — inquit s. Thomas — de ablatione peccati quantum ad maculam, sic manifestum est, quod macula peccati ab anima auferri non potest, nisi per hoc, quod anima Deo conjungitur; per cuius distantiam detrimentum proprii nitoris incurrebat, quod est macula, ut supra dictum est.[2])

Conjungitur autem Deo homo per voluntatem. Unde macula peccati ab homine tolli non potest, nisi voluntas hominis ordinem divinae justitiae acceptet, ut scilicet vel ipse sibi poenam spontaneus assumat in recompensationem culpae praeteritae vel etiam a Deo illatam patienter sustineat; utroque enim modo poena rationem satisfactionis habet.

Poena autem satisfactoria diminuit aliquid de ratione poenae. Est enim de ratione poenae, quod sit contra voluntatem. Poena autem satisfactoria, etsi secundum absolutam considerationem sit contra voluntatem, non tamen ut nunc; et per hoc est voluntaria; unde simpliciter est voluntaria, secundum quid autem involuntaria, sicut patet ex his, quae supra de voluntario et involuntario dicta sunt.[3])

Dicendum est ergo, quod remota macula culpae

---

[1]) Cf. cap. II, 6. — [2]) Cf. S. theol. 1, 2 qu. 86 a 1 et 2.

[3]) Cf. ibid. qu. 6 a 6, o: »Huiusmodi — inquit — quae per metum aguntur, mista sunt ex voluntario et involuntario. Id enim, quod per metum agitur, in se consideratum non est voluntarium; sed fit voluntarium in casu, scilicet ad evitandum malum, quod timetur. Sed si quis recte consideret, magis sunt huiusmodi voluntaria, quam involuntaria; sunt enim voluntaria simpliciter, involuntaria autem secundum quid. Unum quodque enim simpliciter esse dicitur, secundum quod est in actu; secundum autem quod est in sola apprehensione, non est simpliciter, sed secundum quid. Hoc autem, quod per metum agitur, secundum hoc est in actu, secundum quod fit . . . Sed quod accipiatur id, quod per metum fit, ut extra hunc casum (scilicet prout est impedimentum majoris mali, quod timebatur) existens, prout repugnat voluntati, hoc non est nisi secundum rationem; et ideo est involuntarium secundum quid, scilicet prout consideratur extra hunc casum existens» (corp. art.). »Voluntarium est non solum, quod propter

potest quidem remanere reatus non poenae simpliciter, sed satisfactoriae.«[1])

8. Secundum oeconomiam Novi Testamenti per sacramentum baptismi omnis culpa et poena remittitur; in sacramento autem poenitentiae deleta culpa ac remissa poena aeterna reatus poenae temporalis remanet, nisi forte vi poenali contritionis simul expiatur.

Cuius differentiae rationem s. Thomas hanc ponit: »Passio Christi de se sufficiens est ad tollendum omnem reatum poenae non solum aeternae, sed etiam temporalis; et secundum modum, quo homo participat virtutem passionis Christi, percipit etiam absolutionem a reatu poenae.

In baptismo autem homo participat totaliter virtutem passionis Christi, utpote per aquam et spiritum Christo commortuus peccato et in eo regeneratus ad novam vitam; et ideo in baptismo homo consequitur remissionem reatus totius poenae.[2])

In poenitentia vero consequitur virtutem passionis Christi secundum modum propriorum actuum, qui sunt materia poenitentiae, sicut aqua baptismi scilicet materia est. Et ideo non statim per primum actum poenitentiae, quo remittitur culpa, solvitur reatus totius poenae, sed completis omnibus poenitentiae actibus.«[3])

Caput IV: Utrum homo Deo satisfacere possit necne?

1. Satisfacere usu loquendi venit de reparatione injuriae alicui illatae. Est igitur satisfacere tantum facere, quantum offenso satis est, ut iniuriam sibi irrogatam dimittat; unde satisfactio definitur »recompensatio inju-

---

se ipsum volumus ut finem, sed etiam, quod propter aliud volumus ut propter finem« (ad 1 m).

[1]) Ibid. qu. 87 a 6 c. — [2]) Cf. S. theol. 3 p. qu. 69 a 2.

[3]) Ibid. qu. 86 a 4 ad 3 m; cf. corp. art. et ad 1 m—2 m; cf. etiam Conc. Trid. Sess. 14. cap. 8 et can. 12: »Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo — anathema sit.« Cf. Sess. VI, cap. 14 et can. 30.

riae illatae secundum quandam aequalitatem justitiae.«[1])

2. Inde illico manifestum est, satisfactionem esse actum justitiae.

Nam justitiae in genere est, aequalitatem quandam facere in communicationibus cum aliis, sive hominibus sive ipso Deo.[2]) »Satisfactione autem constituitur aequalitas emendae ad offensam praecedentem.«[3])

---

[1]) 4 dist. 15 qu. 1 a 1 quaest. 3 sol. 3 (S. theol. s 3 p. qu. 12 a 3 c).

Ad quam justititiae aequalitatem bene intelligendam juvat ex 4 dist. 46 qu. 1 a 1 quaest. 1 sol. 1 haec exhibere: »Justitia — inquit s. Thomas — proprie dicta aequalitatem constituit in acceptationibus et dationibus, ut patet per Philosophum in 5. Ethic. c. 3.

Hoc autem contingit dupliciter: uno modo, secundum quod constituitur aequalitas inter dantem et recipientem, ut scilicet accipiens tantum accipiat a dante, quantum accipere debet; et in hoc consistit justitia commutativa, utpote quae medium ponit in emptionibus et venditionibus et omnibus retributionibus.

Alio modo (scilicet contingit), secundum quod constituitur aequalitas in duos recipientes, secundum quod contingit ex hoc, quod uterque aequaliter recipit pro meritis; et in hoc consistit justitia distributiva.

In prima ergo, scilicet justitia commutativa, requiritur aequalitas quantitatis, ut scilicet tantum quisquis accipiat, quantum dedit secundum valorem; et ideo inter illos, in quibus non potest esse quantitatis aequalitas, non potest proprie esse commutativa justitia, sicut est in illis, quorum unus non potest recompensare aliquid aequivalens beneficiis acceptis ab alio; sicut filius non potest recompensare aliquid aequivalens beneficiis patris, a quo esse et nutrimentum accepit et disciplinam, et ideo, quantumcunque retribuat patri in obsequiis, non fit perfecta aequalitas; unde nec proprie salvatur ibi ratio commutativae justitiae. Sed tamen aliquis modus justitiae (commutativae) salvari potest, in quantum filius retribuit patri secundum modum suum, ut loco aequalis quantitatis sumatur aequalitas proportionis.

Sed justitia distributiva non requirit quantitatis aequalitatem, sed proportionis tantum. Non enim oportet, ut distribuens omnibus aequaliter distribuat, sed uni cuique proportionabiliter secundum suum (scilicet recipientium) modum.«

[2]) Cf. S. theol. 1, 2 qu. 60 a 2 c et a 3, o.

[3]) 4 dist. 15 qu. 1 a 1 quaest. 2 Sed contra 2° (S. theol. s 3 p. qu. 12 a 2 Sed contra 2°).

Est autem actus justitiae vindicativae, quippe cuius sit, infligendo poenam aequalitatem facere inter offendentem et offensum.

Sed talis aequalitas sive commutatio in offensis fieri potest dupliciter, scilicet »cum aliquis pro offensa in alterum commissa vel invitus punitur, quod pertinet ad vindicativam justitiam (proprie dictam), vel voluntarie recompensat emendam, quod pertinet ad poenitentiam, quae respicit personam peccatoris, sicut justitia vindicativa (proprie dicta) personam judicis.«[1])

Sunt igitur justitiae vindicativae quasi duae species, quarum una justitia vindicativa proprie dicta, altera poenitentia est, qua offendens voluntarie offensam recompensat.

Haec omnia s. Thomas comprehendit, cum ait: »Secundum Philosophum in 5. Ethic. c. 3 et 4 medium justitiae accipitur secundum adaequationem rei ad rem in proportionalitate aliqua.

Unde cum talem adaequationem ipsum nomen satisfactionis importet, quia hoc adverbium »satis« aequalitatem proportionis designat, constat, quod satisfactio formaliter justitiae actus est.

Sed justitiae actus secundum Philosophum 5. Ethic. c. 2 et 4, est vel sui ad alterum, ut quando aliquis reddit alteri, quod ei debet, vel alterius ad alterum, sicut quando judex facit justitiam inter duos.

Quando autem est actus justitiae sui ad alterum, aequalitas in ipso faciente (scilicet justitiam) constituitur; quando autem alterius ad alterum, aequalitas constituitur injustum passo (i. e. ei, qui injustum passus est). Et quia satisfactio aequalitatem in ipso faciente exprimit,

---

[1]) S. theol. 3 p. qu. 85 a 3 ad 3m, ubi addit: »Unde manifestum est, quod utraque (scilicet justitia vindicativa proprie dicta et poenitentia) sub justitia commutativa continetur.«

Arg. 3m est hoc: »Duae sunt species justitiae, ut dicitur in 5. Ethic. c. 4, scilicet distributiva et commutativa. Sed sub neutra videtur poenitentia contineri. Ergo videtur, quod poenitentia non sit species justitiae.«

De virtute poenitentiae cf. ibid. a 1 et 2.

dicit actum justitiae, qui est sui ad alterum, proprie loquando.

Sed sui ad alterum potest aliquis facere justitiam vel in actionibus et passionibus vel in rebus exterioribus, sicut etiam injuria fit alteri subtrahendo res vel per aliquam actionem laedendo. Et quia usus rerum exteriorum est dare, ideo actus justitiae, secundum quod aequalitatem in rebus exterioribus constituit, proprie dicit hoc, quod est reddere; sed satisfacere manifeste aequalitatem in actionibus demonstrat, quamvis quandoque unum pro altero ponatur.

Et quia adaequatio non est nisi inaequalium, ideo satisfactio inaequalitatem actionum praesupponit, quae quidem offensam constituit; et ideo habet respectum ad offensam praecedentem.

Nulla autem pars justitiae respicit offensam praecedentem, nisi justitia vindicativa, quae aequalitatem constituit in eo, qui justum patitur, indifferenter, sive si patiens idem, quod agens, ut quando aliquis sibi ipsi poenam infert, sive non sit idem, ut quando judex alium punit, ad utrumque justitia vindicativa se habente.

Similiter et poenitentia, quae aequalitatem tantum in faciente importat, quia ipsemet poenitens poenam tenet, ut sic quodammodo vindicativae justitiae species est.

Et per hoc constat, quod satisfactio, quae aequalitatem respectu offensae praecedentis in faciente importat, opus justitiae est quantum ad illam partem, quae poenitentia dicitur.« [1])

3. Iam vero si quaeritur, num homo Deo pro offensa commissa satisfacere possit, distinguendum est inter satisfactionem perfectam sive condignam et imperfectam sive sufficientem secundum acceptationem divinam.

---

[1]) 4 dist. 15 qu. 1 a 1 quaest. 2 sol. 2 (S. theol. s 3 p. qu. 12 a 2 c); cf. 3 p. qu. 90 a 2 c. Poenitentia est virtus justitiae adnexa sive pars ejus potentialis, non subjectiva sive proprie species (cf. 4 dist. 14 qu. 1 a 1 quaest. 5 sol. 5), quo sensu hic dicit: »quantam ad illam partem etc.«

»Aliqua satisfactio — inquit s. Thomas — potest dici sufficiens dupliciter: uno modo perfecte, quia est condigna per quandam adaequationem ad recompensationem culpae commissae; alio modo potest dici satisfactio sufficiens imperfecte, scilicet secundum acceptationem eius, qui est ea contentus, quamvis non sit condigna.[1])

4. Ad praestandam Deo satisfactionem condignam purus homo non valet.

»Ad hoc enim — inquit s. Thomas — quod satisfactio esset condigna, oportebat, quod haberet virtutem infinitam, quia peccatum, pro quo fiebat satisfactio, infinitatem quandam habebat ex tribus: primo ex infinitate divinae majestatis, in quantum offensa fuerat per contemptum inoboedientiae; quanto enim major est, in quem peccatur, tanto est gravior culpa; secundo ex bono, quod per peccatum auferebatur, quod est infinitum i. e. ipse Deus, cuius participatione fiunt homines beati; tertio ex ipsa natura, quae corrupta erat, quae quidem infinitatem quandam habet, in quantum in ea possunt supposita in infinitum multiplicari. Actio autem purae creaturae non potest habere infinitam efficaciam; et ideo nulla pura creatura poterat sufficienter (videlicet perfecte) satisfactionem facere.«[2])

5. Ut iam ex contextu patet, Doctor angelicus hic de condigna satisfactione pro peccato originali loquitur; pro quo cum Deus condignam satisfactionem exigeret, necessarium erat Filium Dei incarnari[3]) et pati[4]), ut genus humanum redimeretur.

Sed peccati actualis[5]) non est alia ratio, quam peccati originalis praeter corruptionem naturae humanae.

---

[1]) S. theol. 3 p. qu. 1 a 2 ad 2m; cf. ibid. qu. 48 a 2 c: »Ille proprie (scilicet perfecte) satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, quod aeque vel magis diligit, quam oderit offensam.«

[2]) 3 dist. 20 qu. 1 a 2 sol.

[3]) S. theol. 3 p. qu. 1 a 2 ad 2m; cf. 3 dist. 1 qu. 1 a 2 sol. et ad 6m et ad 9m.

[4]) S. theol. 3 p. qu. 46 a 1 et 2; cf. 3 dist. 20 a 3 et 4, o.

[5]) Peccatum simpliciter est peccatum mortale; peccatum vero

Neque igitur purus homo valet ad condigne satisfaciendum pro peccato actuali. Itaque ad condigne Deo satisfaciendum cum pro peccatis actualibus tum praecipue pro peccato originali solus Jesus utpote Deus homo existens sufficiebat.

»Ille — inquit s. Thomas — proprie (i. e. adaequate) satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, quod aeque vel magis diligit, quam oderit offensam.

Christus autem ex charitate et oboedientia patiendo majus aliquid Deo exhibuit, quam exigeret recompensatio totius offensae humani generis: primo quidem propter magnitudinem charitatis, ex qua patiebatur; secundo propter dignitatem vitae suae, quam pro satisfactione ponebat, quae erat vita Dei et hominis; tertio propter generalitatem passionis et magnitudinem doloris assumpti, ut supra (S. theol. 3 p. qu. 46 a 5 et 6) dictum est. Et ideo passio Christi non solum sufficiens, sed etiam superabundans satisfactio fuit pro peccatis humani generis secundum illud 1 Joa. II, 2: »Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.« [1])

6. Ceterum penes Deum fuit, etiam imperfecta satisfactione contentum esse, immo offensam sine ulla satisfactione remittere.

»Haec etiam justitia — inquit s. Thomas — quae scilicet exigebat, ut homo a peccato liberaretur Christo per passionem suam satisfaciente, dependet ex voluntate divina ab humano genere satisfactionem exigente pro peccato; nam si

---

veniale dicitur peccatum analogice. Cf. S. theol. 1, 2 qu. 88 a 1 ad 1m: »Divisio peccati in veniale et mortale non est divisio generis in species, quae aequaliter participant rationem generis, sed analogi in ea, de quibus praedicatur secundum prius et posterius; et ideo perfecta ratio peccati convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum secundum rationem imperfectam et in ordine ad peccatum mortale; sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam secundum imperfectam rationem entis.« Cf. ibid. 1 a 3 ad 1m.

[1]) S. theol. 3 p. qu. 48 a 2 c.

voluisset absque omni satisfactione hominem a peccato liberare, contra justitiam non fecisset.

Ille enim judex non potest salva justitia culpam sine poena dimittere, qui habet punire culpam in alium commissam, puta, in alium hominem vel in totam rem publicam sive in superiorem principem. Sed Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum et commune bonum totius universi. Et ideo si dimittat peccatum, quod habet rationem culpae ex eo, quod contra ipsum committitur, nulli facit injuriam; sicut quicunque homo remittit offensam in se commissam absque satisfactione, misericorditer et non injuste agit. Et ideo David misericordiam petens dicebat Psalm. L, 6: ‚Tibi soli peccavi', quasi dicat: ‚Potes sine injustitia mihi dimittere'.«[1])

Eo magis penes Deum fuit, contentum esse vel minima poena satisfacientis Christi, quae ex dignitate personae infinitam efficaciam satisfaciendi haberet.

S. Thomas igitur, si passionem et mortem Christi ad redemptionem generis humani solam sufficere affirmat, praesentem ordinationem divinam respicit, quae adaequatam satisfactionem a Christo generis humani vicem gerente etiam ex genere operis sive poenae exegit, quamvis aliter esse posset.

---

[1]) S. theol. 3 p. qu. 46 a 2 ad 3m; cf. 3 dist. 20 qu. 1 a 4 quaest. 1 sol. 1: »Quantum ex parte Dei est, fuit alius modus nostrae liberationis possibilis, quia eius potentia limitata non est; quem si elegisset, convenientissimus fuisset; non tamen habuisset rationem redemptionis, sed liberationis tantum, quia liberatio non fuisset facta per solutionem pretii.

Ex parte autem hominis non fuit alius modus possibilis, nisi quem Deus ei dedit, quia per se satisfacere non poterat, sed solum divino munere.«

Sed ex parte nostra simul et Dei fuit quidem alius modus possibilis, sed nullus ita conveniens.«

Ibid. ad 3m: »Quamvis sit inconveniens ex parte nostra secundum ordinem, quem Deus rebus posuit, ut peccatum sine satisfactione dimittatur, tamen, si ipse faceret, convenientissimum esset, quia ipse simul, cum hoc faceret, aliquam convenientiam in re poneret.«

Supposita igitur divina ordinatione dicit: »Quamvis gutta sanguinis, quam in circumcisione fudit, esset sufficiens ad omnem satisfactionem considerata conditione personae, non tamen quantum ad genus poenae, quia pro morte, ad quam humanum genus obligatum erat, oportebat, quod mortem exsolveret.«[1])

»Aliae poenae, quas Christus sustinuit, quamvis sufficientes essent ad satisfaciendum pro humana natura considerata conditione patientis, non tamen (sufficientes erant) considerato genere poenae, quia in poenis illis non continebantur omnes aliae poenae, sicut in passione mortis continentur.«[2])

Itaque in eiusmodi argumentationibus semper prae oculis habenda sunt illa, quae s. Doctor de mysterio incarnationis dicit scilicet: »Ad ea, quae fidei sunt, ratio demonstrativa haberi non potest, cum fides de non apparentibus (i. e. de non visis sive scitis per rationem[3]) esse dicatur Hebr. XI, 1, et praecipue in illis, quae ex mera Dei voluntate proveniunt, cuiusmodi est incarnatio. Et ideo ad incarnationem probandam ratio demonstrativa haberi non potest, nec etiam in contrarium, quia, cum demonstratio scire (i. e. ex principiis evidentibus intelligere) faciat, scientia autem non nisi verorum sit, oportet omne, quod demonstratur, verum esse et eius contrarium falsum; et ideo sufficit defendere, quod non est impossibile incarnationem esse, et ostendere aliquam congruentiam ad incarnationem.«[4])

7. Purus igitur homo non satisfacere potest pro peccato mortali nisi imperfecte; ideoque satisfactio nostra Christi satisfactionem praesupponit.

»Potest — inquit s. Thomas — dici satisfactio sufficiens imperfecte, scilicet secundum acceptationem eius, qui est ea contentus, quamvis non sit condigna; et hoc modo satisfactio puri hominis est sufficiens Et quia omne imperfectum prae-

---

[1]) 3 dist. 20 qu. 1 a 3 ad 4m. — [2]) Ibid. ad 6m; cf. sol.

[3]) Cf. S. theol. 2, 2 qu. 1 a 4 et 5. — [4]) 3 dist. 1 qu. 1 a 2 sol.

supponit aliquid perfectum, a quo sustentetur, inde est (videlicet secundum praesentem Dei ordinationem), quod omnis puri hominis satisfactio efficaciam habet a satisfactione Christi.«[1])

Alio loco Doctor angelicus dicit: »Homo Deo dupliciter debitor efficitur: uno modo ratione beneficii accepti; alio modo ratione peccati commissi.

Et sicut gratiarum actio vel latria vel si quid est aliquid huiusmodi, respicit debitum accepti beneficii, ita satisfactio respicit debitum peccccati commissi.

In his autem honoribus, qui sunt ad parentes et Deum, etiam secundum Philosophum 8 Ethic. sub fin. libr. impossibile est, aequivalens reddere secundum quantitatem, sed sufficit, ut homo reddat, quod potest, quia amicitia non exigit aequivalens, sed quod possibile est; et hoc etiam est aequale aliqualiter, scilicet secundum proportionalitatem, quia, sicut se habet hoc, quod Deo est debitum, ad ipsum Deum, ita hoc, quod iste potest reddere, ad ipsum (scilicet reddentem); et sic aliquo modo forma justitiae conservatur.

Et similiter est ex parte satisfactionis.

Unde non potest homo Deo satisfacere, si ly »satis« aequalitatem quantitatis importet; contingit autem, si importet aequalitatem proportionis, ut dictum est; et hoc, sicut sufficit ad rationem justitiae, ita sufficit ad rationem satisfactionis.«[2])

8. Ut s. Thomas recte notat, in sola amicitia fit, ut amicus amico aliquantum debiti remittat eoque contentus sit, quod amicus sibi reddere possit.

Amicus Dei autem homo per charitatem constituitur secundum illud 1 Joa. c. IV, 16: »Deus charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo.« Ergo charitas requiritur, ut Deus satisfactionem hominis acceptet eaque contentus sit.

---

[1]) S. theol. 3 p. qu. 1 a 2 ad 2m.

[2]) 4 dist. 15 qu. 1 a 2 sol. (S. theol. s. 3 p. qu. 13 a 1 c.)

Sed radix charitatis est gratia gratum faciens, ex qua virtutes supernaturales et dona Spiritus sancti manare intelliguntur, sicut ex natura procedunt potentiae.

Itaque satisfactio, ut a Deo pro offensa sua acceptetur, gratia informata sit, necesse est.[1])

»Sicut offensa — inquit s. Thomas — habuit quandam infinitatem ex infinitate divinae majestatis, ita etiam satisfactio accipit quandam infinitatem ex infinitate divinae misericordiae, prout est gratia informata (i. e. prout ex gratia gratum faciente mediante charitate procedit), per quam acceptum redditur, quod homo reddere potest.

Quidam tamen dicunt, quod habet infinitatem ex parte aversionis, et sic gratis dimittitur; sed ex parte conversionis finita est, et sic pro ea satisfieri potest.

Sed hoc nihil est, quia satisfactio non respondet peccato, nisi secundum quod est offensa Dei, quod non habet ex parte conversionis, sed solum ex parte aversionis.

Alii vero dicunt, quod etiam quantum ad aversionem pro peccato satisfieri potest virtute meriti Christi, quod quodam modo infinitum fuit.

Et hoc in idem redit, quod prius dictum est, quia per fidem Mediatoris gratia data credentibus est. *Si tamen alio modo gratiam daret, sufficeret satisfactio per modum praedictum.*"[2])

Supposita igitur gratia et charitate jam potest homo de condigno poenam temporalem post culpam dimissam restantem expiare.

Itaque merito condemnata est sententia Michaëlis Baji

---

[1]) Inde cognoscitur, quanta res sit, satisfacere pro peccato mortali vel imperfecte, quantusque Deus, cui nisi ab habente charitatem satisfieri ne imperfecte quidem possit. Sicut igitur pro peccato mortali solus Filius Dei naturalis perfecte satisfacere potuit, ita pro eodem peccato soli filii Dei adoptivi imperfecte satisfacere possunt.

[2]) Loc. cit. ad 1m.

asserentis: »Satisfactiones laboriosae justificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.« [1])

9. Ex dictis sequitur, hominem non posse de uno peccato (scilicet mortali) satisfacere sine alio.

»Quidam — inquit s. Thomas — dixerunt, quod potest de uno peccato satisfieri sine alio, ut Magister in Littera dicit 4 dist. 15.

Sed hoc non potest esse. Cum enim per satisfactionem tolli debeat offensa praecedens, oportet, quod talis sit modus satisfactionis, qui competat ad tollendam offensam. Offensae autem ablatio est amicitiae restitutio. Et ideo, si aliquid sit, quod amicitiae restitutionem impediat, etiam apud homines satisfactio esse non potest.

Ergo cum quodlibet peccatum (scilicet mortale) amicitiam charitatis impediat, quae est hominis ad Deum, impossibile est, ut homo de uno peccato satisfaciat alio retento; sicut nec homini satisfaceret, qui pro alapa ei data se ei prosterneret et aliam simul daret.« [2])

Neque obligationis debiti simpliciter atque offensae eadem omnino est ratio.

»In obligatione enim debiti non est nisi inaequalitas justitiae opposita, quia unus rem alterius habet; et ideo ad restitutionem non exigitur, nisi quod restituatur aequalitas justitiae, quod quidem potest fieri de uno debito et non de alio.

---

[1]) Pii V. bulla »Ex omnibus afflictionibus«, dat. 1 Oct. 1567 propos. 77. Cf. prop. 10: »Solutio poenae temporalis proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est«; cujus propositionis sensus cognoscitur ex prop. 59: »Quando per eleemosynas aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumnant (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte redemptores); sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur et communicatur.«

Satisfactionem pro poena temporali condignam esse imperfectam satisfactionem pro peccato mortali, quod maculam et poenam aeternam inducit, per se manifestum est.

[2]) Ibid. a 3 quaest. 1 sol. 1 (S. theol. s. 3 qu. 14 a 1 c); cf. ad 1 m.

Sed ubi est offensa, ibi est inaequalitas non tantum justitiae opposita, sed etiam amicitiae; et ideo ad hoc, quod per satisfactionem offensa tollatur, non solum oportet, quod aequalitas justitiae restituatur per recompensationem aequalis poenae, sed etiam quod restituatur amicitiae aequalitas, quod non potest fieri, dum aliquid est, quod amicitiam impediat.« [1])

10. Praeterea sequitur, hominem extra charitatem existentem etiam de peccatis quoad culpam remissis nequire satisfacere.

»Quidam — inquit s. Thomas — dixerunt, quod, postquam omnia peccata per praecedentem contritionem remissa sunt, si aliquis ante satisfactionem peractam in peccatum decidat et in peccato existens satisfaciat, satisfactio ei valeat ita, quod, si in peccato illo moreretur, in inferno de illis peccatis non puniretur.

Sed hoc non potest esse, quia in satisfactione oportet, quod amicitia restituta etiam justitiae aequalitas restituatur, cuius contrarium amicitiam tollit, ut Philosophus in 9 Ethic. c. 4 dicit.

Aequalitas autem in satisfactione ad Deum non est secundum aequivalentiam, sed magis secundum acceptationem ipsius.

Et ideo oportet, quod, etiamsi jam offensa sit dimissa per praecedentem contritionem, opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat eis charitas. Et ideo sine charitate opera facta non sunt satisfactoria.« [2])

Neque obstat consilium, quod Daniel Nabuchodonosori regi peccatori dedit, ut scilicet peccata sua eleemosynis redimeret.[3]) »Consilium enim Danielis intelligitur, quod a peccato cessaret et poeniteret et sic (scilicet in charitate existens) per eleemosynas satisfaceret.« [4])

---

[1]) Ibid. ad 2m.

[2]) Ibid. quaest. 2 sol. 2; cf. ad 3m et 4m (S. theol. s. 3 p. qu. 14 a 2).

[3]) Cf. ibid. 1m. — [4]) Ibid. ad 1m.

Neque inconveniens potest dici, requiri ad satisfaciendum charitatem, propterea, quod nemo pro certo sciat, num in charitate sit secundum illud Eccle. IX, 1: »Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit.«[1])

Nam »sicut homo nescit pro certo, utrum charitatem habuerit in satisfaciendo vel habeat, ita etiam nescit pro certo, utrum plene satisfecerit; et ideo dicitur Eccle. V, 4: ‚De propitiatu peccatorum noli esse sine metu.'

Non tamen exigitur, quod propter hunc metum homo satisfactionem expletam iteret, si conscientiam peccati mortalis non habet. Quamvis enim poenam non expiet per huiusmodi satisfactionem, tamen non incurrit reatum omissionis ex satisfactione neglecta, sicut nec ille, qui accedit ad eucharistiam sine conscientia peccati mortalis, cui subjacet, reatum indignae sumptionis incurrit.«[2])

11. Denique manifestum est, satisfactionem, quam homo in peccato mortali existens exhibuit, non posse incipere valere, cum homo justificatus erit; nam »charitas — inquit s. Thomas — non informat actum, nisi qui ab ipsa aliqualiter procedit. Sed opera non possunt esse Deo accepta ac per hoc nec satisfactoria, nisi sint charitate informata. Ergo cum opera facta extra charitatem nullo modo ex charitate processerint vel de cetero procedere possint, nullo modo poterunt in satisfactione computari.«[3])

»Dixerunt quidem quidam, quod opera in charitate facta, quae viva dicuntur, sunt meritoria vitae aeternae et satisfactoria respectu poenae dimittendae; et quod per charitatem sequentem opera extra charitatem facta vivificantur quantum ad hoc, quod sunt satisfactoria, sed non quantum ad hoc, quod sunt meritoria vitae aeternae.

Sed hoc non potest esse, quia utrumque habent ex eadem ratione opera ex charitate facta, scilicet ex hoc, quod sunt Deo grata; unde sicut charitas adveniens

---

[1]) Cf. ibid. 2m. — [2]) Ibid. ad 2m.

[3]) Ibid. quaest. 3 Sed contra 2 (S. theol. s. 3 qu. 14 a 3).

non potest opera extra charitatem facta gratificare quantum ad unum, ita nec quantum ad aliud.«[1])

12. Indirecte tamen et per accidens possunt opera extra charitatem facta ad diminutionem poenae valere.

»Quanto enim est major contritio, tanto magis diminuit de poena; et quanto aliquis plura bona facit in peccato existens (videlicet ope actualis gratiae), tanto magis se ad gratiam contritionis disponit; et ideo probabile est, quod minoris poenae sit debitor; et propter hoc deberet a sacerdote discrete computari, ut ei minorem poenam injungat, in quantum invenit eum melius dispositum.«[2])

Praeterea »aliquae satisfactiones sunt, ex quibus manet aliquis effectus in satisfacientibus, etiam postquam actus satisfactionis transiit; sicut ex jejunio manet corporis debilitatio et ex eleemosynarum largitione substantiae diminutio; et sic est de similibus.

Et tales satisfactiones in peccatis factae non oportet quod iterentur, quia quantum ad hoc, quod de eis manet, per poenitentiam Deo acceptae sunt (quatenus scilicet a poenitente charitatem consecuto effectus relictus denuo Deo offertur).

Satisfactiones autem (videlicet a confessario impositae), quae non relinquunt aliquem effectum in satisfaciente, postquam actus transiit, oportet, quod iterentur, sicut est de oratione et similibus.

Actus autem interior, quia totaliter transit, nullo modo vivificatur, sed oportet, quod iteretur.«[3])

13. Relinquitur, ut difficultates quasdam diluamus, quae probare videntur, satisfactionem homini omnino impossibilem esse.

Etenim »servus, quia totum, quod habet, domini est,

---

[1]) Ibid. sol. 3. — [2]) Ibid. ad 1 m.

[3]) Ibid. ad 3 m; cf. 3 m. Cf. de hac materia etiam ibid. quaest. 4 (utrum opera extra charitatem facta sint alicujus boni meritoria) et quaest. 5 (utrum opera praedicta valeant ad mitigationem poenarum infernalium); cf. S. theol. s. 3 qu. 14 a 4 et 5. Cf. etiam Lehmkuhl P. II l. 1 tr. 5 sect. 2 c. 3 ad IV, 3.

non posse videtur pro aliquo debito recompensare. Sed nos servi Dei sumus et, quidquid boni habemus, ab ipso habemus. Cum ergo satisfactio sit recompensatio offensae praeteritae, videtur, quod Deo satisfacere non possimus.« [1])

Attamen »homo, qui ad imaginem Dei factus est, aliquid libertatis participat, in quantum est dominus suorum actuum per liberum arbitrium; et ideo ex hoc, quod per liberum arbitrium agit, Deo satisfacere potest, quia, quamvis Dei sit, prout a Deo est sibi concessum, tamen libere ei traditum est, ut ejus dominus sit; quod servo non competit.« [2])

»Neque, quamvis posse suum totum homo Deo debeat, ab eo exigitur de necessitate (scilicet praecepti), ut totum, quod possit, faciat, quia hoc est ei impossibile secundum statum praesentis vitae, ut totum posse suum in aliquid unum expendat, cum oporteat eum circa multa esse sollicitum; sed est quaedam mensura homini adhibita, quae ab eo requiritur, scilicet impletio mandatorum Dei; et super ea potest aliquid erogare, ut satisfaciat.« [3])

Denique »quamvis homo non possit tempus praeteritum recuperare, potest tamen in futuro recompensare illud, quod in praeterito facere debuisset, quia non debuit debito praecepti totum, quod potuit.« [4])

Accepit igitur homo a Deo, quidquid accepit, ad liberum usum, qui tamen temperatur ac regitur per praecepta Dei,

---

[1]) 4 dist. 15 qu. 1 a 2, 2m (S. theol. s. 3 p. qu. 13 a 1, 2m).

[2]) Ibid. ad 2m.

[3]) Ibid. ad 3m. Arg. 3m est hoc: »Ille, cuius totum, quod habet, non proficit ad unum debitum exsolvendum, non potest pro alio debito satisfacere. Sed quidquid homo est, et (quidquid) potest et habet, non sufficit ad solvendum debitum pro beneficio conditionis; unde Is. XL, 16 dicitur, quod ligna Libani non sufficient ad holocaustum. Ergo nullo modo potest satisfacere pro debito offensae commissae.«

[4]) Ibid. ad 4m. Arg. 4m est hoc: »Homo totum, tempus suum debet in Dei servitium expendere. Sed tempus amissum non potest recuperari; propter quod est gravis jactura temporis, ut Seneca dicit implic. l. 4 epist. 1. Ergo non potest homo recompensationem Deo facere.«

quae non totum posse hominis intra terminos necessitatis includunt, ita ut revera homo habeat, quod de suo Deo in satisfactionem offerat.[1])

Caput V: Utrum homo alius pro alio satisfacere possit necne.

1. Charitas sicut radix et ratio est satisfaciendi pro se, ita etiam pro alio homine. Deus enim ordinationes suas secundum rerum naturas temperare solet. Est autem charitas supernaturalis amor amicitiae. Sed amor amicitiae amantes unit, ita ut mutuo sibi inhaereant et sibi invicem bona velint et operentur.[2]) Itaque cum homines secundum charitatem quasi unum quoddam sint, ideo Deus statuit, ut alius pro alio satisfacere possint. Sicut igitur Christus pro fidelibus quibuscum quasi membris suis tamquam caput una quaedam persona mystica sit, satisfecit, ita etiam »in quantum duo homines sunt unum in charitate, unus pro alio satisfacere potest.«[3])

2. Neque tamen similis ratio est meriti gloriae ac satisfactionis.

Nam »praemium essentiale (quod in visione Dei faciali consistit et magnitudini gratiae habitualis proportionatur), redditur secundum dispositionem hominis, quia secundum capacitatem videntium erit plenitudo visionis divinae.

Et ideo sicut unus non disponitur per actum alterius, ita unus alteri non meretur praemium essentiale, nisi meritum eius habeat efficaciam infinitam, sicut Christi, cuius merito solo pueri per baptismum ad vitam aeternam perveniunt.

---

[1]) Cf. cap. VI, 16—21, 26. — [2]) Cf. S. theol. 1. 2 qu. 28 a 1, 2, 3.

[3]) S. theol. 3 p. qu. 48 a 2 ad 1m; cf. 4 dist. 20 qu. 1 a 2 quaest. 3 Sed contra 2° (S. theol. s. 3 p. qu. 13 a 2 Sed contra 2°): »Charitas magis potest apud Deum, quam apud homines. Sed unus potest apud homines pro alterius amore debitum eius solvere. Ergo multo fortius hoc in divino judicio fieri potest.«

Cf. ibid. Sed contra 1°: »Gal. VI, 2 dicitur: ‚Alter alterius onera portate (et sic adimplebitis legem Christi)'. Ergo videtur, quod unus possit onus poenitentiae impositae pro alio portare.«

Sed poena temporalis pro peccato debita post culpae remissionem non taxatur secundum dispositionem eius, cui debetur, quia quandoque ille, qui est melior, habet majoris poenae reatum (propter plura ac majora peccata praecedentia). Et ideo quantum ad poenae remissionem unus alteri potest mereri et actus unius efficitur alterius charitate mediante, per quam ‚omnes unum sumus in Christo' Gal. III, 28.«[1])

3. Neque similis ratio est satisfactionis ac contritionis et confessionis.

Nam »contritio ordinatur contra culpam, quae ad dispositionem bonitatis vel malitiae hominis pertinet; et ideo per contritionem unius alius a culpa non liberatur.

Similiter per confessionem homo se sacramentis Ecclesiae subjicit. Non autem potest unus sacramentum pro alio accipere, quia in sacramento gratia suscipienti datur, non alii.«[2])

Sed »satisfactio consistit in actu exteriori, ad quem assumi possunt instrumenta, inter quae computantur etiam amici.«[3])

4. Satisfactionem in hac vita etiam medicinalem esse supra[4]) diximus. Per se autem manifestum est, satisfactionem alius pro alio non posse esse medicinalem, nisi per accidens, quatenus scilicet alius pro alio satisfaciendo affluentiam gratiarum actualium de congruo meretur, quae praecipue morbis spiritualibus medentur.

Itaque satisfactiones, quatenus medicinales sunt, ipsi poenitenti praestandae sunt.

5. Totam hanc doctrinam s. Thomas sic tradit:

»Poena — inquit — satisfactoria est ad duo ordinata, scilicet ad solutionem debiti et ad medicinam pro peccato vitando.

In quantum ergo est ad medicinam sequentis

---

[1]) 4 dist. 20 qu. 1 a 2 quaest. 3 ad 1m (S. theol. s. 3 p. qu. 13 a 2 ad 1m).

[2]) Ibid. ad 2m. — [3]) Ibid. 3 p. qu. 48 a 2 ad 1m.

[4]) Cf. cap. II, 13.

peccati, sic satisfactio unius non prodest alteri, quia ex jejunio unius caro alterius non domatur nec ex actibus unius alius bene agere consuevit, nisi secundum accidens, in quantum scilicet aliquis per bona opera potest alteri mereri (scilicet de congruo[1]) augmentum gratiae (actualis et consequenter per bonum eius usum etiam habitualis), quae efficacissimum remedium est ad vitandum peccatum. Sed hoc est per modum meriti magis, quam per modum satisfactionis.

Sed quantum ad solutionem debiti, unus potest pro alio satisfacere, dummodo sit in charitate, ut opera eius satisfactoria esse possint.

Nec oportet, quod major poena imponatur ei, qui pro altero satisfacit, quam principali imponeretur, ut quidam dicunt hac ratione moti, quod poena propria magis satisfaciat, quam aliena, quia poena habet vim maxime satisfaciendi ratione charitatis, qua homo ipsam sustinet.

Et quia major charitas apparet in hoc, quod aliquis pro altero satisfacit, quam si ipse satisfaceret, ideo minor poena requiritur in eo, qui pro alio satisfacit, quam in principali requireretur; unde dicitur in »Vitis Patrum«, lib. V., libell. 5, quod propter charitatem unius, qui alterius fratris sui charitate ductus poenitentiam fecit pro peccato, quod non commiserat, alteri peccatum, quod commiserat, dimissum est.

Nec etiam exigitur quantum ad solutionem debiti, quod ille, pro quo fit satisfactio, sit impotens ad satisfaciendum; quia, etiamsi esset potens, alio satisfaciente pro ipso ipse a debito immunis esset.

Sed hoc requiritur, in quantum poena satisfactoria est in remedium. Unde non est permittendum, quod aliquis pro alio poenitentiam agat, nisi defectus aliquis appareat in poenitente vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum, vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandum poenam.«[2])

6. Vix necessarium est commemorare, eum, qui pro

---

[1]) 4 dist. 20 qu. 1 a 2 quaest. 3 ad 3m (cf. S. theol. s. 3 p. qu. 13 a 2 ad 3m).

[2]) Ibid. sol. 3 (S. theol. loc. cit. c.); cf. Cg. 3 cap. 158 in fine.

alio satisfacit, non simul pro se quoque satiscere, quia »in solutione debiti attenditur quantitas poenae, illa autem quantitas poenae (quam scilicet satisfaciens exhibet) non sufficit ad utrumque peccatum; tamen satisfaciendo pro alio sibi meretur aliquid majus, quam sit dimissio poenae, scilicet vitam aeternam (i. e. gloriae augmentum).« [1])

»Opus (enim) suffragii, quod pro altero fit, potest considerari dupliciter: uno modo ut expiativum poenae per modum cujusdam recompensationis, quae in satisfactione attenditur; et hoc modo opus suffragii, quod reputatur quasi ejus, pro quo fit, ita absolvit eum a debito poenae, quod non absolvit facientem a debito poenae propriae, quia in tali recompensatione consideratur aequalitas justitiae; opus autem istud satisfactorium ita potest adaequari reatui uni, quod alteri non aequatur. Reatus enim duorum peccatorum majorem satisfactionem requirunt, quam reatus unius.

Alio modo potest considerari, in quantum est meritorium vitae aeternae, quod habet, in quantum procedit ex radice charitatis; et secundum hoc non solum prodest ei, pro quo fit (scilicet per modum impetrationis, cf. cap. VI, 6 et 7), sed facienti magis.« [2])

---

[1]) Ibid. ad 3m.

[2]) 4 dist. 45 qu. 2 a 1 quaest. 4 sol. 4. Inde manifestum est, actum »heroicum«, quo quis omnes satisfactiones et suas et aliorum, quae pro ipso vel vivente fiunt vel defuncto fient, in manus B. M. V. semel in perpetuum resignat animabus purgatorii applicandas, vere esse heroicum, quia is paratus est ad suscipiendas purgatorii poenas, cum non pro se satisfaciat ideoque poena temporalis solvenda maneat. Sed meritum tamen vitae aeternae longe tale detrimentum temporale superat, ut nihil dicam, talem charitatis heroem gratia divina adjutum ferventiore contritione et sacramentali confessione et satisfactione poenas suas temporales iam in hac vita facile expiaturum esse (cf. cap. VII, 21—23), quia effectus sacramenti non prosunt nisi suscipienti neque ad alios transferri possunt; sin minus, haud dubium est, quin Deus ex suffragiis communibus vel ex specialibus alicui animae superfluis illi pro dignitate sua distribuat, ut mox liberetur. Proinde simus tales charitatis heroës, praesertim cum omnes indulgentiae appli-

7. Si quis pro alio satisfactionem suscipit, is, pro quo suscipit, non statim ab obligatione satisfactionis liber est, sed tum et in tantum liberatur, cum et in quantum suscipiens pro eo debitum reapse solvit.

Itaque si quis, postquam pro eo alius satisfactionem suscepit, moreretur, non statim in coelum evolaret, sed in purgatorio tamdiu pateretur, donec ab ipso et a suscipiente debitum poenae solutum esset.

Quodsi suscipiens promisso non steterit, etiam ipse pro omisso punietur.

Objicit sibi ipse s. Thomas: »Si unus pro alio satisfacere potest; ergo ex quo unus sibi suscipit debitum poenae, alius statim a debito liberatur.

Ergo si moriatur, postquam tota poena sibi debita ab alio suscepta est, statim evolabit; vel si adhuc puniatur, duplex poena reddetur pro eodem peccato, scilicet illius, qui satisfacere incipit, et illius, qui punitur in purgatorio.« [1])

Ad quod argumentum »dicendum — inquit s. Doctor — quod, si ipsemet ad aliquam poenam se obligasset, non prius a debito esset immunis, quam eam solvisset; et ideo poenam (ad quam scilicet peccando se obligavit), ipse patietur, quamdiu ille satisfactionem pro eo fecerit; quam si non fecerit, tunc uterque est debitor illius poenae, unus pro commisso, alius pro omisso; et ita non sequitur, quod peccatum unum bis puniatur.« [2])

Caput VI: Utrum suffragia per vivos facta etiam defunctis valeant necne.

1. »Suffragium — inquit s. Thomas — de sui ratione importat quandam auxiliationem.« [3])

In usum autem Ecclesiae venit istud verbum ad denotandam eam auxiliationem, quam membra cor-

---

cabiles fiant animabus purgatorii et sacerdos, qui actum heroicum fecerit, personali altaris privilegio donetur.

[1]) Ibid. 4m. — [2]) Ibid. ad 4m.

[3]) 4 dist. 45 qu. 2 a 2 quaest. 4 sol. 4 (cf. S. theol. s. 3 qu. 74 Edit. Vivès — qu. 71 in Edit. Venet. a 1612 — quae per 12 articulos

poris Christi mystici in defectibus vitae spiritualis inter se ferre possunt secundum illud Psalmi CXVIII, 63: »Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua«; et secundum illud 1. Cor., XII, 12 et 26: »Sicut corpus unum est et membra multa habet, omnia autem corporis membra, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus.

Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.«

Concordat cum illo usu loquendi usus antiquus; nam suffragium[1]) apud antiquos per metonymiam significavit sententiam, quam judices in judicio et populus in comitiis per testas ferebant.

2. Inde statim manifestum est, suffragium non auxilium tantum significare, quod defunctis praestatur, sed etiam id auxilium, quod viventibus in defectibus vitae spiritualis ab aliis corporis mystici membris fertur.

Itaquae s. Thomas totam suam de suffragiis disputationem inchoat quaerendo: »Utrum suffragia per unum facta alii prodesse possint«[2]) et in solutione 1. suffragia vivis et mortuis prodesse in universum indicat, quamvis ibidem magis vivos respiciat, cum de defunctis infra fusius agat.[3])

3. Sed neque viatorum tantum in defectibus vitae spiritualis auxilia, sed etiam beatorum nominantur suffragia.

S. Thomas de intercessione Sanctorum disserens: »Iste — inquit — ordo est divinitus institutus in rebus secundum Dionysium, ut per media ultima reducantur in Deum.

Unde cum sancti, qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi, hoc divinae legis ordo requirit, ut nos, qui ma-

---

totam de suffragiis doctrinam ex citata dist. 45 qu. 2 transsumptam exhibet).

[1]) Suffragium derivatur a verbo frangendi et secundum etymologiam idem est ac sub-frangium (testa).

[2]) 4 dist. 45 qu. 2 a 1 quaest. 1.

[3]) Cf. ibid. sol. 1 et quaest. 2 et a 2.

nentes in corpore peregrinamur a Domino, in eum per sanctos medios reducamur; quod quidem contingit, dum per eos divina bonitas suum effectum diffundit.

Et quia reditus noster in Deum respondere debet processui bonitatum ipsius ad nos: sicut mediantibus sanctorum suffragiis Dei beneficia ad nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia eius sumamus mediantibus sanctis; et inde est, quod eos intercessores pro nobis ad Deum constituimus et quasi mediatores, dum ab eis petimus, quod pro nobis orent.«[1])

Similiter Ecclesia in Missali Romano de suffragiis Sanctorum loquitur.[2])

4. Suffragia cum auxiliationes quaedam sint, defectum quendam supponunt.

»Suffragium — inquit s. Thomas — de sui ratione importat auxiliationem, quae non competit ei, qui defectum non patitur; nulli enim juvari competit nisi in eo, quo indigens est.«[3])

Sed cum suffragium auxiliatio mutua inter membra corporis Christi mystici sit, quod super vita supernaturali gratiae ac charitatis fundatur, manifestum est, per suffragia aliquem non juvari, nisi in defectibus vitae spiritualis, et, si in aliis, non nisi in ordine ad vitam spiritualem.[4])

»Cum igitur sancti, qui sunt in patria, sint ab omni indigentia immunes, inebriati (videlicet) ab ubertate domus Dei, eis juvari per suffragia non competit.»[5])

---

[1]) Ibid. qu. 3 a 2 sol.; cf. ibid. a 1 ad 3m, ubi dicit Sanctos auxilium ferre; et a 4 sol., ubi dicit: »Sanctorum merita in conspectu Dei existentia sunt nobis suffragia.«

[2]) Cf. Collect. et Secret. s. Naboris et Felicis (d. 12. Jul.); Collect. s. Mariae Magdal. (d. 22. Jul.); Secret. s. Ignatii (d. 31. Jul.); Collect. s. Martyr. Machab. (d. 1. Aug.); Secret. s. Laurentii (d. 10. Aug.) »suffragantibus meritis«; et passim.

[3]) Ibid. qu. 2 a 2 quaest. 4 sol. 4.

[4]) Cf. ibid. qu. 2 a 1 quaest. 2 ad 4m: »Potest — inquit — vivorum et mortuorum communicatio esse quantum ad opera spiritualis vitae, quae est per charitatem ad Deum, cui mortuorum spiritus vivunt.«

[5]) Ibid. qu. 2 a 2 quaest. 4 sol. 4.

Itaque quamvis sancti, sicut angeli,[1]) de bonis operibus viatorum gaudeant, hoc tamen gaudium suffragium dici nequit.

»Quamvis — inquit s. Thomas — sancti, qui sunt in patria, de omnibus bonis nostris gaudeant, non tamen sequitur, quod multiplicatis nostris gaudiis eorum gaudium augmentetur formaliter, sed materialiter tantum, quia omnis passio (i. e. receptio) formaliter augetur secundum rationem objecti sui.

Ratio autem gaudendi in Sanctis, de quibuscunque gaudent, est ipse Deus, de quo non possunt magis et minus gaudere, quia sic essentiale eorum praemium variaretur, quod consistit in hoc, quod de Deo gaudent.

Unde ex hoc, quod bona multiplicantur, de quibus gaudendi ratio eis Deus est, non sequitur, quod intensius gaudeant, sed quod de pluribus gaudeant; et ideo non sequitur, quod operibus nostris juventur.«[2])

5. Animabus autem purgatorii tale gaudium de bonis operibus levamentum quoddam est ideoque, si tale eis gaudium paratur, hoc suffragium dici potest.

Paratur autem eis tale gaudium, si per suffragia vivorum quascunque animas a purgatorio liberari vident; nam charitas — inquit Apostolus — non aemulatur nec quaerit, quae sua sunt.«[3])

Hoc sensu suffragia specialia omnibus animabus purgatorii valent eisque plus, quae sunt majoris charitatis.

»Suffragia — inquit s. Thomas — pro uno facta omnibus (scilicet in purgatorio existentibus) valent (ideoque vera suffragia sunt), in quantum scilicet omnes, qui sciunt, gaudent de bonis, quae ex charitate fiunt; et secundum hoc verum est, quod illis, pro quibus non fiunt, plus valent suffragia, si sint majoris charitatis.«[4])

---

[1]) Cf. Luc. XV, 7 et 10.

[2]) 4 dist. 45 qu. 2 a 2 quaest. 4 ad 3m; cf. ad 4m. Cf. etiam ibid. dist. 49 qu. 3 a 5 quaest. 4 sol. 4 et ad 2m.

[3]) 1 Cor. XIII, 4, 5. — [4]) Quodlib. II qu. 7 a 14 c.

6. Quod si quis quaesierit, ad quos defectus spirituales tollendos sive ad quae bona spiritualia conferenda suffragia valeant, distinguendum est tripliciter, scilicet primo inter praemium essentiale, quod est beatitudo aeterna, ad quam gratia gratum faciens dispositio est, et praemium accidentale, quod est vel gaudium aliquod de bonis operibus vel diminutio poenae temporalis; deinde inter efficaciam suffragiorum per modum meriti aut per modum impetrationis sive orationis; denique inter statum viae et statum termini sive patriae.

Iam vero praemium essentiale vitae aeternae sibi quisque soli proprie sive de condigno meretur, non ulli alii.

Alius autem alii, dum vivit, gratias actuales ad adipiscendum statum gratiae disponentes potest per merita sua impetrare, quod est alii mereri de congruo. Post mortem enim nemo potest statum suum spiritualem neque ipse mutare neque alii ad hoc gratias actuales impetrare.

Poenae vero temporalis diminutionem, quae ad praemium accidentale pertinet, potest alius in charitate existens, dum vivit, alii sive vivo sive mortuo, modo capaces sint, de condigno mereri, si pro iis intendit, quia tale meritum nihil aliud est, quam vicaria unius pro alio solutio debiti; quod, sicut in humana justitia fieri potest, ita etiam in divina, quae humanae exemplar est.[1])

Gaudium autem de meritis non specialem requirit intentionem, ut in alios transeat, sed propter naturam chari-

---

[1]) Cf. 4 dist. 45 qu. 2 a 1 quaest. 1 ad 2m: »Opus, quod pro aliquo fit, efficitur eius, pro quo fit; et similiter opus, quod est ejus, qui mecum est unum, est quodammodo et meum. Unde non est contra divinam justitiam, si unus fructum percipit de operibus factis ab eo, qui est unum secum charitate, vel ab operibus pro se factis. Hoc etiam secundum humanam justitiam contingit, ut satisfactio unius pro alio accipiatur.« Cf. ibid. a 4 quaest. 1 Sed contra 1°: »Justitia humana exemplatur a divina justitia.«

tatis, quae »congaudet veritati«,[1]) in omnibus iis oritur, qui charitate inter se communicant.

»Charitate — inquit s. Thomas — omnes Christi fideles efficiuntur unum corpus; et sic actus unius quodammodo redundat in juvamentum alterius, sicut etiam in membris nostris corporalibus videmus; et sic juvatur aliquis ex actu alterius, in quantum quilibet existens in charitate gaudet de quolibet bono opere; et quanto est majoris charitatis, tanto amplius gaudet, sive sit in purgatorio sive in paradiso sive etiam in mundo.«[2])

7. Totam hanc doctrinam s. Thomas brevi simul ac dilucide sic tradit:

»Actus — inquit — noster ad duo valere potest: primo ad aliquem statum acquirendum, sicut per opus meritorium homo acquirit statum beatitudinis; secundo ad aliquid consequens statum, sicut homo per aliquem actum meretur aliquod praemium accidentale vel diminutionem poenae.[3])

Ad utrumque autem horum actus noster dupliciter valere potest: uno modo per viam meriti, alio modo per viam orationis.

Et est differentia inter istas duas vias, quia meritum innititur justitiae; sed orans impetrat petitum ex sola liberalitate ejus, qui oratur.

Dicendum ergo, quod opus unius nullo modo potest alteri valere ad statum consequendum per viam meriti, ut scilicet ex his, quae ego facio, aliquis mereatur vitam

---

[1]) 1. Cor. XIII, 6.

[2]) Quodlib. VIII qu. 5 a 9. Nota, quam caute s. Thomas loquatur. Postquam enim dixit: »Et sic juvatur aliquis ex actu alterius«, non statim addit »sive sit in purgatorio sive in paradiso (scilicet coelesti) sive etiam in mundo«, sed interponit sententiam: »Quanto est majoris charitatis, tanto amplius gaudet;« cui demum illud subjungit. Et sic sententia vera est, quia beati, etsi gaudent de meritis, hoc tamen gaudio non juvantur, quia nihil indigent. Cf. supra 4.

[3]) Cf. 4 dist. 15 qu. 2 a 2 quaest. 3 sol. 3, ubi ad praemium accidentale etiam remissionem poenae temporalis refert.

aeternam, quia sors gloriae redditur secundum mensuram accipientis.

Unus quisque autem ex suo actu disponitur et non ex alieno, et dico dispositionem dignitatis ad praemium.

Sed per viam orationis etiam quantum ad statum consequendum opus unius alteri, dum in via est, valere potest, sicut quod unus homo impetrat alteri primam gratiam.

Cum enim impetratio orationis sit secundum liberalitatem Dei, qui oratur, ad omnia illa impetratio orationis se potest extendere, quae potestati divinae subsunt ordinate.

Sed quantum ad aliquid, quod est consequens vel accessorium ad statum, opus unius potest valere alteri non solum per viam orationis, sed etiam per viam meriti.

Quod quidem dupliciter contingit: vel propter communicantiam in radice operis, quae est charitas in operibus meritoriis; et ideo omnes, qui invicem connectuntur in charitate, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant, tamen secundum mensuram status unius cujusque,[1]) quia etiam in patria unus quisque de bonis gaudebit alterius; et inde est, quod articulus fidei ponitur Sanctorum communio.

Alio modo (contingit, quod opus unius potest valere alteri per viam meriti quoad aliquid consequens statum) ex intentione facientis, qui aliqua opera specialiter ad hoc facit, ut talibus prosint; unde ista opera quodammodo efficiuntur eorum, pro quibus fiunt, quasi eis a faciente collata.

Unde possunt eis valere vel ad impletionem satisfactionis vel ad quidquid huiusmodi, quod statum non mutat.«[2])

8. Ex dictis igitur manifestum est, suffragia mortuis non valere, nisi vel ad poenam temporalem expiandam vel ad gaudium pariendum, quod po-

---

[1]) Cf. supra 6 in fine.

[2]) 4 dist. 45 qu. 2 a 1 quaest. 1 sol. 1; cf. ad 1m—4m.

sterius in animabus purgatorii solis suffragii rationem obtinet, non autem in beatis, ut supra diximus.[1])

Inde statim sequitur, eos, qui in peccato mortali mortui in aeternum damnati sunt, suffragiis juvari non posse.

Nihilo minus autem extiterunt, qui sententiam contrariam tenerent; contra quos s. Thomas catholicam veritatem sic defendit.

»Circa damnatos — inquit — in inferno fuit duplex opinio.

Quidam enim dixerunt, in hoc distinguendum esse dupliciter: uno modo quantum ad tempus, dicentes, quod post diem judicii (universalis) nullus in inferno existens aliquo suffragio juvabitur, sed ante diem judicii aliqui juvantur suffragiis Ecclesiae.

Alio modo distinguebant quantum ad personas in inferno detentas, inter quas quosdam dicebant esse valde malos, qui scilicet sine fide et sacramentis Ecclesiae decesserunt; et talibus, qui de Ecclesia non fuerunt nec merito nec numero, suffragia Ecclesiae prodesse non possunt.

Alii vero sunt non valde mali, qui scilicet de Ecclesia fuerunt numero et fidem habentes et sacramentis imbuti et aliqua opera de genere bonorum facientes; et talibus suffragia Ecclesiae prodesse debent.

Sed occurrebat eis quaedam dubitatio eos perturbans, quia scilicet videbatur ex hoc sequi, cum poena inferni sit finita secundum intensionem, quamvis duratione infinita existat, quod multiplicatis suffragiis poena illa auferetur; quod est error Originis; et ideo hoc inconveniens multipliciter evadere voluerunt.

Praepositivus[2]) enim dixit, quod tantum possunt suffragia pro damnatis multiplicari, quod a poena tota redduntur immunes, non autem simpliciter, ut Origines posuit, sed ad tempus, scilicet usque ad diem judicii; tunc enim

---

[1]) Cf. supra 5, secundum quod ea interpretanda sunt, quae 4 dist. 12 qu. 2 a 1 quaest. 2 in contrarium dicere s. Thomas videtur.

[2]) Praepositivus, cancellarius Universitatis Parisiensis (def. a. 1217) Summam theologicam ex dictis ss. Patrum conscripsit.

animae iterato corporibus conjunctae in poenas inferni sine spe veniae retruduntur.

Sed ista opinio videtur divinae repugnare providentiae, quae nihil in rebus inordinatum relinquit. Culpa autem ordinari non potest, nisi per poenam; unde non potest esse, ut poena tollatur, nisi prius culpa expietur; et ideo, cum culpa continue maneat, eorum poena nullatenus interrumpetur.

Et ideo Porretani[1]) alium modum invenerunt dicentes, quod hoc modo proceditur in diminutione poenarum per suffragia, sicut proceditur in divisione linearum, quae cum sint finitae, tamen in infinitum dividi possunt et nunquam per divisionem consumuntur, dum fit subtractio non secundum eandem quantitatem, sed secundum eandem proportionem, velut si primo auferatur pars quarta totius et secundo quarta illius quartae et iterum quarta illius quartae et sic deinceps in infinitum.

Et similiter dicunt, quod per primum suffragium diminuitur aliquota pars poenae et per secundum pars aliqua remanentis secundum eandem proportionem.

Sed iste modus est multipliciter defectivus: primo, quia infinita divisio, quae congruit continuae quantitati, non videtur posse ad quantitatem spiritualem transferri; secundo, quia non est aliqua ratio, quare secundum suffragium minus de poena diminuat, quam primum, si sit aequalis valoris; tertio, quia poena diminui non potest, nisi diminuatur et culpa, sicut nec auferri nisi ea ablata; quarto, quia in divisione lineae tandem pervenitur ad hoc, quod non est sensibile; corpus enim sensibile non est in infinitum divisibile; et sic sequeretur, quod post multa suffragia poena remanens propter sui parvitatem non sentiretur et ita non esset poena.

---

[1]) Discipuli Gilberti Porretani, episcopi Pictaviensis (ab a 1242—1254), qui magistri sui auctoritatem secuti sunt in errando quidem, sed non in resipiscendo atque retractando; in conc. enim Rhem. a 1247 auctoritati Eugenii P. P. III. humiliter sese subjecit eorum magister.

Et ideo alii invenerunt alium modum. Altissiodorensis[1]) enim dixit, quod suffragia prosunt damnatis non quidem per diminutionem vel per interruptionem, sed per confortationem patientis, sicut si homo portaret grave onus et facies sua perfunderetur aqua; sic enim confortaretur ad melius portandum, cum tamen onus suum in nullo levius fieret.

Sed hoc iterum esse non potest, quia aliquis plus vel minus aeterno igne gravatur, ut Gregorius dicit, secundum meritum culpae; et inde est, quod eodem igne quidam plus, quidam minus cruciantur.

Unde cum culpa damnati immutata remaneat, non potest esse, quod levius poenam ferat.

Est nihilominus et praedicta opinio praesumptuosa, utpote sanctorum dictis contraria, et vana, nulla auctoritate fulta; et nihilominus irrationalis, tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum charitatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis, tum quia totaliter ad viae terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem, sicut et sancti, qui sunt in patria. Quod enim adhuc restat de poena vel gloria corporis, hoc eis rationem viatoris non praebet, cum gloria essentialiter et radicaliter existat in anima; et similiter miseria damnatorum; et ideo non potest poena eorum diminui, sicut (nec) gloria sanctorum augeri quantum ad praemium essentiale.

Sed tamen modus, qui a quibusdam ponitur, quod suffragia prosunt damnatis, posset aliquo modo sustineri, ut si dicatur, quod non prosunt neque quantum ad diminutionem poenae vel interruptionem vel quantum ad diminutionem sensus poenae, sed quia ex huiusmodi suffragiis eis aliqua materia doloris subtrahitur, quae eis esse posset, si ita se abjectos

---

[1]) Gulielmus Antissiodorensis (Auxerre), theol. Paris., archidiaconus Belovacensis (def. Romae a 1230) Summam theologicam conscripsit.

Est etiam alius Gulielmus Antissiodorensis, episcopus Antissiodorensis dioecesis, consanguineus s. Bernardi, qui et ipse Summam theologicam conscripsit († 1223).

conspicerent, quod pro eis nullam curam haberent vivi; quae materia doloris eis subtrahitur, dum suffragia pro eis fiunt.

Sed istud etiam non potest esse secundum legem communem quia, ut Augustinus dicit in libro »De cura pro mortuis agenda«, c. 13, quod praecipue de damnatis verum est, »ibi sunt spiritus defunctorum, ubi non vident, quaecunque agunt (scilicet homines) aut eveniunt in ista vita (scilicet mortali) hominibus«; et ita non cognoscunt, quando pro eis suffragia fiunt, nisi supra communem legem hoc remedium divinitus detur aliquibus damnatorum; quod est verbum omnino incertum.

Unde tutius est, simpliciter dicere, quod suffragia non prosunt damnatis; nec pro eis Ecclesia orare intendit.«[1])

9. Similiter neque infantibus sine baptismo mortuis suffragia valere possunt.

Nam »pueri — inquit s. Thomas — non baptizati non detinentur in limbo, nisi quia deficiunt a statu gratiae; unde, cum per opera vivorum mortuorum status mutari non possit maxime quantum ad meritum essentialis praemii vel poenae, suffragia vivorum pueris in limbo existentibus prodesse non possunt.«[2])

10. Relinquitur igitur, ut suffragia pro defunctis facta non valeant nisi animabus in purgatorio existentibus, cum beati suffragiis non indigeant.

Indigent enim istae animae suffragiis, quia in purgatorio detinentur, ut poenas temporales peccatorum luant; sunt etiam capaces eorum, quia per charitatem ad corpus Christi mysticum pertinent, in quo meritorum communicatio est. Modo igitur aliquis intendat, pro aliquo defuncto in purgatorio existente in specie vel pro omnibus in communi satisfactionem praestare, nullum dubium est, quin talibus suffragiis juventur.

»Poena purgatorii — inquit s. Thomas — est in supple-

---

[1]) 4 dist. 45 qu. 2 a 2 quaest. 1 sol. 1; cf. ad 1m—5m.

[2]) Ibid. quaest. 3 sol. 3.

mentum satisfactionis, quae non fuerat plene in corpore consummata; et ideo, quia opera unius possunt valere alteri ad satisfactionem sive vivis sive mortuis, non est dubium, quin suffragia per vivos facta existentibus in purgatorio prosint.« [1])

»Suffragia autem vivorum prosunt defunctis, secundum quod uniuntur viventibus charitate et secundum quod intentio viventium refertur in mortuos.« [2])

11. Iam vero quaeritur, num praeter charitatem adhuc quidquam aliud in anima purgatorii requiratur, ut particeps fiat suffragorium, quae aliquis vivens ipsi specialiter fert, secundum totum eorundem valorem.

Sunt enim, qui dicant, Deum alicui animae, pro qua specialiter suffragia fiunt, haec in tantum ad poenam solvendam computare, quantum ipsa in vita mortali meruerit.

Niti autem sibi posse videntur auctoritate s. Augustini, qui in Enchiridio suo haec habet: »Tempus, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut una quaeque digna est vel requie vel aerumna pro eo, quod sortita est in carne, cum viveret.

Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur vel eleemosynae in Ecclesia fiunt.

Sed eis haec prosunt, qui, cum viverent, ut haec sibi postea possent prodesse, meruerunt.

Est enim quidam vivendi modus nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem, nec tam malus, ut non ei prosint ista post mortem; est vero talis in bono, ut ista non requirat; et est rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum ex hac vita transierit, adjuvari.

---

[1]) Ibid. quaest. 2 sol. 2.

[2]) Ibid. a 3 quaest. 1 sol. 1; cf. supra 6.

Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quisquam (ut in purgatorio) vel gravari (ut in inferno).

Nemo se autem speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri (quia merendi status cum vita mortali transiit).

Non igitur ista, quae pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicae sunt adversa sententiae, qua dictum est: ‚Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unus quisque secundum ea, quae per corpus gessit sive bonum sive malum‘,[1]) quia etiam hic meritum sibi quisque, dum in corpore viveret, comparavit, ut ei ista prodessent.

Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitae, quam quis gessit in corpore?

Cum ergo sacrificia sive altaris sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis (i. e. beatis) gratiarum actiones sunt, pro non valde malis (i. e. animabus purgatorii) propitiationes sunt, pro valde malis (i. e. damnatis in inferno), etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt.

Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat damnatio«,[2]) i. e. poena purgatorii; »damnatio enim — inquit s. Thomas — in verbis illis large accipitur pro quacunque punitione, ut sic includat et poenam purgatorii, quae quandoque totaliter per suffragia expiatur, quandoque autem non, sed diminuitur.«[3])

Similiter s. Augustinus in aliquo sermone loquitur.

»Orationibus — inquit — sanctae Ecclesiae et sacrificio salutari et eleemosynis, quae pro eorum spiritibus offeruntur, non est dubium mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt.

---

[1]) 2 Cor. V, 10. — [2]) S. Augustini Enchirid. c. 109 et 110.
[3]) 4 dist. 45 qu. 2 a 2 quaest. 1 ad 2m.

Hoc enim a patribus traditum tota observat Ecclesia, ut pro eis, qui in communione corporis et sanguinis Domini defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur ac pro illis quoque id offerri commemoretur.

Non est ergo ambigendum ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, ut possint eis haec utilia esse post mortem.

Nam qui sine fide operante per dilectionem eiusque sacramentis de corpore exierunt, frustra illis a suis huiusmodi pietatis officia impenduntur, cujus, dum hic essent, pignore caruerunt, non misericordiam sibi thesaurizantes, sed iram.

Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis aliquid boni operantur sui, sed eorum meritis praecedentibus consequentia ista redduntur. Nam istam quisque finiens vitam, nisi quod in ea meruerit, non poterit habere post eam.[1])

12. Hos duos s. Augustini locos Magister sententiarum in opus suum retulit subjungendo haec: »Ecce quibus et qualiter prosint illa, quae pro defunctis frequentat Ecclesia.

Mediocriter malis suffragantur ad poenae mitigationem, mediocriter bonis ad plenam absolutionem: qui non habent tantae perfectionis merita, ut non indigeant juvari per pauperes, quorum est regnum coelorum, quos sibi fecerunt amicos de mammona iniquitatis, quorum tanta est perfectio, ut his adjutoriis non indigeant, quales sunt Apostoli et martyres.«[2])

---

[1]) S. Aug. serm. CLXXII, c. 2.

[2]) Petri Lomb. l. 4 sentent. dist. 45.

S. Thomas in expos. textus ait: »Ista verba a diversis diversimode exponuntur.

Illi enim, qui dicunt suffragia Ecclesiae prodesse in inferno existentibus, dicunt, alios esse mediocriter bonos et alios mediocriter malos. Dicunt enim valde malos esse eos, qui sine fide et sacramentis Ecclesiae decesserunt; et his dicunt nihil prodesse suffragia; sed mediocriter malos eos, qui cum fide et sacramentis Ecclesiae, in peccato tamen mortali decesserunt, quibus secundum eos valent suffragia ad poenae mitigationem, non autem ad plenam absolutionem. Sed valde bonos

Inde cum illi loci tum iste loquendi modus atque usus in Scholam et ipsius Ecclesiae documenta transierunt.

In bullis enim Indulgentiarum usque ad Julium II haec fere reperitur forma: »Animabus in purgatorio existentibus, quae per charitatem Christo unitae ab hac luce decesserunt et quae, dum viverent, sibi, ut huiusmodi indulgentia suffragaretur, meruerunt, succurrere cupientes etc.«[1])

---

dicunt illos, qui sine criminali decedentes statim evolant, qui suffragiis non indigent; mediocriter vero bonos, qui cremabilia (i. e. peccata venialia et poenas peccatorum temporales non in vita expiatas) secum ferunt et in purgatorio detinentur; et his dicunt prodesse suffragia ad plenam absolutionem.

Qui vero dicunt suffragia non prodesse his, qui sunt in inferno, dicunt eosdem esse mediocriter malos et mediocriter bonos.

Omnes enim, qui sunt in inferno, valde malos dicunt; qui vero in patria (sunt), valde bonos; eos vero, qui sunt in purgatorio, dicunt mediocriter bonos, in quantum deficiunt a perfectione bonitatis, sed et mediocriter malos, in quantum deficiunt a perfecta malitia, quae est peccatum mortale. His autem suffragia quandoque prosunt ad mitigationem poenae, quandoque ad plenam absolutionem secundum differentiam quantitatis cremabilium et suffragiorum.

Et haec expositio est convenientor.«

[1]) Julii II bulla »Liquet omnibus« dat. d. 11. Jan. a. 1510 pro subventione fabricae s. Petri de Urbe Basilicae, § 23: »Et ut animarum salus eo potius procuretur, quo magis aliorum egent suffragiis et quo minus sibi ipsis proficere valent, auctoritate praefata de thesauro s. matris Ecclesiae animabus in purgatorio existentibus, quae per charitatem ab hac luce Christo unitae decesserunt et quae, dum viverent, sibi, ut huius modi indulgentia suffragaretur, meruerunt, paterno compatientes affectu, quanto cum Deo possumus, succurrere cupientes de divina misericordia ac apostolicae potestatis plenitudine volumus et concedimus, ut si qui parentes, amici aut certi Christi fideles pietate commoti pro ipsis animabus in purgatorio pro expiatione poenarum eisdem secundum divinam justitiam debitarum retentis durante commissione nuncii et commissarii ad opus fabricae huiusmodi aliquam eleemosynam juxta nuncii et commissarii ac deputandi et subdelegandi ab eo, quibus vices suas commisserint, ordinationem erogaverint, ipsa plenissima indulgentia per modum suffragii animabus ipsis in purgatorio existentibus, pro quibus

A temporibus autem Julii II. eiusmodi appositum non invenimus, sed illud tantum »quae per charitatem Christo unitae (conjunctae) sive cum charitate ab hac luce decesserunt (migrarunt).«[1])

13. Ex hac observatione, sicut ex ipso textu supra allato manifestum est, illud defunctorum meritum, ut suffragia eis prosint, nihil aliud esse, quam quod gratiam gratum facientem, dum vivunt, usque ad mortem sibi servabant.

»Homo — inquit s. Thomas — dum in corpore vivit, meruit, ut haec ei valerent post mortem; et ideo, si post hanc vitam eis juvatur, nihilominus procedit ex his, quae in corpore gessit.«[2])

»Istud meritum nihil aliud fuit, quam facere se habiles ad recipiendum.«[3])

Habilis autem ad recipiendum suffragium aliquis est per charitatem sive vivus sive defunctus; unde s. Thomas ex parte recipientis nihil unquam aliud requirit, quam ut sit in statu gratiae.

Itaque ut suffragia vivorum animabus pur-

---

dictam eleemosynam pie erogaverint, ut praefertur, pro poenarum relaxatione suffragetur.

Ac omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus tam ecclesiasticos, quam saeculares de similis potestatis plenitudine et liberalitate, qui manus adjutrices ad opus fabricae huiusmodi porrexerint, ac omnes et singulos eorundem parentes defunctos, qui cum charitate decesserunt, in omnibus precibus, suffragiis, eleemosynis, jejuniis, orationibus, missis, horis canonicis, disciplinis, peregrinationibus et ceteris omnibus spiritualibus bonis, quae fiunt et fieri potuerunt in tota universali Ecclesia militante et omnibus membris ejusdem, participes fiant.« Ex hac indulgentia, dum in Germania praedicatur, Martinus Luther occasionem sumpsit atque initium contra Ecclesiam catholicam insurgendi atque haeresim suam disseminandi.

[1]) Cf. Clementis X Brev. dat. 20. Julii a. 1674; Innocentii XI Brev. dat. 20. Sept. a. 1679 in Bullario Rom. (Augustae Taurinorum tom. 18 a. 1869 et tom. 19 a. 1870).

[2]) 4 dist. 45 qu. 2 a 1 quaest. 2 ad 1m; cf. ibid. quaest. 3 ad 6m: »Ad hoc, quod suffragium alicui valeat, requiritur ex parte eius, pro quo fit, capacitas hujus valoris.«

[3]) Ibid. a 4 quaest. 1 ad 2m; cf. Quodlib. VIII qu. 5 a 9 ad 1m.

gatorii, pro quibus specialiter fiunt, secundum totum suum valorem valeant, praeter charitatem nihil amplius requiritur.

14. Unde sequitur, aliquam animam, etsi minore gratia gratum faciente praedita est ideoque minorem gloriam aeternam consequetur, quam alia, citius tamen liberari posse largioribus suffragiis specialibus viventium.

»Circa hoc — inquit s. Thomas — fuit duplex opinio.

Quidam enim, ut Praepositivus, dixerunt, quod suffragia pro uno aliquo facta non magis prosunt ei, pro quo fiunt, sed eis, qui sunt magis digni; et ponebat exemplum de candela, quae accenditur pro aliquo divite, quae non minus aliis prodest, qui cum eo sunt, quam ipsi diviti, et forte magis, si habeant oculos clariores; et (ponebat scilicet Praepositivus) etiam (exemplum) de lectione, quae non magis prodest ei, pro quo legitur, quam aliis, qui cum eo audiunt, sed forte aliis magis, qui sunt sensu capaciores.

Et si objiceretur, quod secundum hoc Ecclesiae ordinatio esset vana, quae specialiter pro aliquibus orationes instituit, dicebant, quod hoc Ecclesia facit ad excitandas devotiones fidelium, qui promptiores sunt ad facienda specialia suffragia, quam communia, et ferventius etiam pro suis propinquis orant, quam pro extraneis.

Alii e contrario dixerunt, quod suffragia magis valent ei, pro quo fiunt.

Utraque autem opinio secundum aliquid veritatem habet.

Valor enim suffragiorum potest pensari ex duobus. Valent enim uno modo ex virtute charitatis, quae facit omnia bona communia; et secundum hoc verum est, quod magis valent ei, qui magis charitate est plenus, quamvis pro eo specialiter non fiant; et sic valor suffragiorum attenditur magis secundum quandam interiorem consolationem, secundum quod unus in charitate existens de bonis alterius delectatur post mortem quantum ad diminutionem poenae (ad quam scilicet solam ista bona alteri,

pro quo a vivis fiunt, defuncto valent); post mortem enim non est locus acquirendi gratiam vel augmentandi, ad quod valent nobis in vita opera aliorum ex virtute charitatis.[1])

Alio modo suffragia valent ex hoc, quod per intentionem unius alteri applicantur; et sic satisfactio unius alteri computatur; et hoc modo non est dubium, quod magis valent ei, pro quo fiunt, *immo sic ei soli valent.*

Et secundum hoc secunda opinio plus habet de veritate, quam prima.«[2])

»Suffragia prosunt per modum luminis, in quantum a mortuis (ex charitatis affectu) acceptantur (tamquam sua) et ex hoc quandam consolationem recipiunt et tanto majorem, quanto majori charitate sunt paediti.

Sed in quantum suffragia sunt quaedam satisfactio per intentionem facientis translata in alterum, non sunt similia lumini (vel lectioni), sed magis solutioni alicujus debiti.

Non autem est necesse, ut, si debitum pro uno solvitur, ex hoc aliorum debitum solvatur.«[3])

Ad argumentum autem, scilicet »si suffragia facta pro aliquibus eis solum vel magis eis, quam aliis, valerent, pauperes, pro quibus non tot suffragia fiant, quot pro divitibus, fore deterioris condicionis; id autem esse contra sententiam

---

[1]) Cf. supra 7. — [2]) 4 dist. 45 qu. 2 a 4 quaest. 1 sol. 1.

[3]) Ibid. ad 1m; cf. 1m. Cf. ibid. Sed contra 1°: »Justitia humana exemplatur a divina justitia.

Sed justitia humana, si aliquis debitum pro aliquo solvit, eum solum absolvit.

Ergo, cum ille, qui suffragia facit, quodammodo solvat debitum ejus, pro quo facit, ei soli proderit.«

»Praeterea sicut homo faciens suffragia quodammodo satisfacit pro mortuo, ita et interdum aliquis pro vivo potest satisfacere.

Sed quando aliquis satisfacit pro vivo, satisfactio illa non computatur nisi illi, pro quo facta est.

Ergo et suffragia faciens ei soli prodest, pro quo facit.«

Cf. sententiam Joannis Wicleff damnatam a Martino V per bullam »Inter cunctas« n. 19: »Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos non plus prosunt eidem, quam generales«.

Domini: ‚Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum coelorum' (Luc. VI, 20)«,[1]) ad hoc — inquam — argumentum respondet »dicendum, quod nihil prohibet divites quantum ad aliquid esse melioris condicionis, quam pauperes, sicut quantum ad expiationem poenae; sed hoc quasi nihil est, comparatum possessioni regni coelorum, in qua pauperes melioris condicionis esse ostenduntur per auctoritatem inductam.«[2])

»Credibile tamen — inquit s. Thomas — est, quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragiis supersit his, pro quibus fiunt, ut scilicet eis non indigeant, aliis dispensetur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant, ut patet per Damascenum in sermone de dormientibus sic dicentem: ‚Deus tamquam justus commetietur impotenti possibilitatem, tamquam suscipiens defectuum commutationem negotiabit', quae quidem negotiatio attenditur, quod id, quod deest uni, alter supplet.«[3])

15. Sic igitur etiam eorum defunctorum, qui aequalem poenam in purgatorio habent, ii citius liberantur, pro quibus largiora fiunt suffragia specialia.

»Ista — inquit s. Thomas — quaestio, utrum scilicet aequali poena puniendorum in purgatorio unus citius possit liberari, quam alius, necne, fundatur supra virtutem suffragiorum, utrum scilicet suffragia facta pro aliquo valeant illi soli, pro quo fiunt ad liberationem, vel etiam alii.

Circa quod aliqui dixerunt, quod non magis valent illi, quam aliis, immo forte magis valent aliis, si sint melius dispositi ad recipiendum suffragiorum virtutem; et ponunt exemplum, sicut si accendatur cereus in domo pro aliquo divite, qui sit caecus, illuminat omnes in domo existentes et forte alios magis illuminat, si habeant limpidiorem visum.

---

[1]) Ibid. 3m.

[2]) Ibid. ad 3m; cf. Quodlib. VIII qu. 5 a 9, ubi quaerit: »Utrum suffragia magis prosint pauperi magis digno, quam diviti, pro quo specialiter fiunt.«

[3]) 4 dist. 45 qu. 2 a 4 quaest. 3 ad 2m.

Et secundum hanc opinionem duorum, qui ob aequales poenas in purgatorio detinentur, unus non potest citius liberari, quam alter.

Sed hanc opinionem non reputo veram.

Cajus ratio est, quia suffragium unius valet alteri propter duo: uno modo propter unitatem charitatis, quia omnes, qui sunt in charitate, sunt quasi unum corpus; et ita bonum unius redundat in omnes, sicut manus deservit toti corpori, et similiter quodlibet corporis membrum; et secundum hoc quodcunque bonum factum ab aliquo valet cuilibet in charitate existenti secundum illud Psalm. CXVIII, 63: ‚Particeps sum ego omnium timentium te et custodientium mandata tua.'

Alio modo secundum quod per intentionem alicujus actus ejus transfertur in alterum; puta, si aliquis pro altero solvat aliquod debitum, pro eodem habetur, ac si ille solveret, pro quo solvitur.

Primo ergo modo valet opus bonum per modum meriti,[1]) cujus radix est charitas; sed secundo modo opus unius valet alteri per modum satisfactionis, prout unus pro altero satisfacere potest, si hoc intendat; et talis valor attenditur in suffragiis, quae ad hoc fiunt, ut per ea homines liberentur a debito poenae.

Et ideo dicendum est, quod suffragia per istum modum non valent nisi illis, pro quibus fiunt; et secundum hoc, si pro aliquo fiunt multa suffragia, citius liberatur a poena purgatorii, quam alii, pro quibus non fiunt, etiamsi aequalia peccata detulerunt.

Concedendum tamen est, quod suffragia pro uno facta omnibus valent, in quantum scilicet omnes, qui sciunt, gaudent ex charitate de bonis, quae fiunt;

[1]) Cf. supra 7. Nota tamen, s. Thomam hic inter modum meriti et satisfactionis distinguere, cum ibi non distinguat, quia etiam satisfactio opus meritorium requirit.

[2]) Quodlib. II qu. 7 a 14 c.

et secundum hoc verum est, quod illis, pro quibus non fiunt, plus valent suffragia, si sint majoris charitatis.« [1])

Ad argumentum autem asserens, Deum non posse duorum, qui aequali poena purgatorii digni sint, alterutrum propter suffragia citius liberare, quia contra veritatem judicaret, si alterum, pro quo suffragia non fiant, majore poena afficeret, scilicet dilatione gloriae, sicut contra veritatem judicaret, si graviorem poenam sensus alterutri aequalem poenam merenti infligeret — ad hoc igitur argumentum s. Thomas respondet »dicendum, quod (iis, qui sunt in statu gratiae defuncti), per se loquendo, non debetur poena carentiae visionis divinae nec simpliciter nec ad tempus; sed quod ad tempus retardentur a visione divina, hoc contingit per accidens, quia scilicet, quamdiu digni sunt aliqua poena, non possunt participare summam felicitatem, quae in visione consistit.

Justitia autem respicit poenam per se debitam peccato, non autem eam, quae per accidens consequitur.« [2])

16. Praeterea sequitur, suffragium aliquod, si pro pluribus fiat, non aeque valere iisdem omnibus, ac si pro uno tantum fiat, quia inter plures idem distribuitur ideoque singulis minus contingit, quam si totum uni applicatur.

»Si consideretur — inquit s. Thomas — valor suffragiorum, in quantum sunt satisfactiones quaedam

---

[1]) Quodlib. II qu. 7 a 14 c.

[2]) Ibid. ad 1m. Arg. 1m est hoc: »Videtur, quod duorum, qui sunt digni aequali poena, unus non possit citius a purgatorio liberari, quam alius.

Judicium enim post mortem non est hominis, sed Dei, qui secundum veritatem judicat, ut dicitur ad Rom. II, 2.

Sed contra veritatem judicaret, si uni eorum, qui sunt digni aequali poena, infligeretur gravior poena sensus, quam alteri.

Dilatio autem gloriae est major poenae, quam acerbitas poenae sensus, quia, sicut dicit Chrysostomus super Matth., carere visione divina est major poena, quam quaelibet poena sensibilis.

Ergo unus eorum, qui digni sunt aequali poena, non majorem dilationem gloriae patietur altero citius liberato.«

per intentionem facientis translatae in mortuos (et idem est de vivis), tunc magis valet suffragium alicui, quod pro eo singulariter fit, quam quod pro eo communiter fit et multis aliis.

Sic enim effectus suffragii (qui est poenae relaxatio) dividitur *ex divina justitia* inter eos, pro quibus suffragia fiunt.

Et ex hoc etiam patet, quare institutum sit, ut suffragia specialia in Ecclesia fiant.« [1])

17. Fiunt praeter specialia suffragia etiam communia, velut si pro omnibus fidelibus defunctis in purgatorio existentibus missae celebrantur vel orationes funduntur vel alia satisfactionis opera praestantur.

Communium autem suffragiorum inter animas purgatorii distributio divinae, ut per se manifestum est, relinquitur justitiae; apud quam cum non personarum acceptio sit, nullum dubium est, quin secundum majorem vel minorem earum dignitatem distributionem faciat.

Id s. Thomas insinuat, cum quaestionem solvit, num tantum valeant suffragia communia illis, pro quibus specialia non fiunt, quantum illis, pro quibus (specialia) fiunt, valent specialia et communia simul.

»Huius — inquit — quaestionis solutio dependet ex solutione primae quaestionis (scilicet num suffragia, quae fiunt pro uno defuncto, magis proficiant ei, pro quo fiunt, quam aliis).[2])

Si enim suffragia specialiter pro uno facta indifferenter omnibus valent, tunc omnia suffragia sunt communia; et ideo tantum juvabitur ille, pro quo non fiunt specialia, quantum ille, pro quo fiunt, si sit aequaliter dignus.

Si autem suffragia pro aliquo facta non indifferenter omnibus prosint, sed (ut revera est) maxime eis, pro quibus

[1]) 4 dist. 45 qu. 2 a 4 quaest. 2 sol. 2; cf. ad 1m, ad 3m, Sed contra 1° et 2°. Cf. etiam ibid. a 1 quaest. 4 sol. 4.

[2]) Cf. supra 14, ubi solvit affirmando.

fiunt, tunc non est dubium, quod suffragia communia et specialia simul plus valent alicui, quam communia tantum.«[1])

Si igitur per communia suffragia illi, qui aequaliter digni sunt, secundum s. Thomam aequaliter juvantur, haud dubium est, quin eos, qui digniores sunt, per eadem suffragia communia magis juvari, quam minus dignos, satis indicet.

18. Quod si quaeritur, unde ista dignitas major vel minor judicetur, duo pro rei natura consideranda sunt: primo poenae purgatorii acerbitas, secundo ejusdem poenae duratio.

»Acerbitas poenae — inquit s. Thomas — proprie respondet quantitati culpae, sed diuturnitas radicationi culpae in subjecto.«[2])

Hoc principium est universale et non minus verum de poena peccati aeterna, quam de temporali purgatorii.

Propterea enim poena peccati aeterna est, quia peccatum in subjecto in aeternum inest. Sed si ablata culpa et poena aeterna remissa poena temporalis substituitur, hujus poenae diuturnitas secundum peccati in subjecto radicationem taxatur, quae attenditur secundum peccati reliquias sive vulnera;[3]) quae, cum non culpae, sed poenae rationem habeant, ablata culpa non statim auferuntur, sed pedetentim purgantur[4]) sive in hac vita sive in altera.

Similiter dicendum est de peccato veniali, cujus poenae diuturnitas similiter respondet culpae in subjecto radicationi, sicut acerbitas culpae quantitati.

»Quaedam — inquit s. Thomas — peccata venialia sunt majoris adhaerentiae, quam alia, secundum quod affectus magis ad ea inclinatur et fortius in eis figitur; et quia ea, quae sunt majoris adhaerentiae, tardius purgantur, ideo quidam in purgatorio diutius, quam

---

[1]) 4 dist. 45 qu. 2 a 4 quaest. 3 sol. 3.

[2]) 4 dist. 21 qu. 1 a 3 quaest. 3 ad 1 m.

[3]) Cf. cap. II, 6.

[4]) Cf. S. theol. 3 p. qu. 86 a 5, o.

alii, torquentur, secundum quod affectus eorum ad venialia fuit magis immersus.«[1])

»Unde potest contingere, quod aliquis diutius (in purgatorio) moretur, qui minus affligitur, et e converso.«[2])

Major igitur vel minor dignitas ad recipienda communia suffragia judicanda esse videtur ex quantitate culpae sive mortalis condonatae sive venialis, cujus poenas temporales animae in purgatorio solvunt, et ex culpae in subjecto inhaesione.

Quo major enim culpa fuerit viventis, quo intensior eius in peccante inhaesio, eo minorem in purgatorio a Deo communium suffragiorum partem accipiet.

19. Reliquum denique est, ut quaeramus, quis mortuis in purgatorio existentibus suffragari possit.

Ait s. Thomas: »Non est dubium, quin suffragia per vivos facta existentibus in purgatorio prosint.«[3])

»Suffragia vivorum prosunt defunctis.«[4])

Ergo suffragandi defunctis potestatem non tribuit nisi hominibus viventibus.

Cujus rei ratio est, quod »purgatio animae per poenas purgatorii non est aliud, quam expiatio reatus impedientis a perceptione gloriae; et quia per poenam, quam unus sustinet pro alio, potest reatus alterius expiari, non est inconveniens, si per unius satisfactionem alius purgetur.«[5])

Est igitur ad suffragandum defunctis necessarius status

---

[1]) 4 dist. 21 qu. 1 a 3 quaest. 3 sol. 3. Sic s. Thomas interpretatur 1 Cor. III, 12 et 15, scilicet: »Si quis superaedificat ligna, foenum, stipulam, salvus erit, sic tamen quasi per ignem«.

»Apostolus — inquit — differentias venialium (peccatorum) per lignum, foenum et stipulam significavit. Sed constat, quod lignum diutius manet in igne, quam foenum et stipula.

Ergo unum peccatum veniale diutius punitur, quam aliud.« Ibid. Sed contra.

[2]) Ibid. ad 1m.

[3]) 4 dist. 45 qu. 2 a 2 quaest. 2 sol. 2; cf. quaest. 3 sol. 3.

[4]) Ibid. a 3 quaest. 1 sol. 1.

[5]) Ibid. a 2 quaest. 2 ad 3m.

satisfaciendi, qui est status viae, quia satisfactio opus simpliciter meritorium requirit.

Ideo neque beati neque angeli per se et directe animabus purgatorii suffragium ferre possunt.

»Suffragia Ecclesiae — inquit s. Thomas — sunt pro defunctis quasi quaedam satisfactiones viventium vice mortuorum et secundum hoc mortuos a poena absolvunt, quam (mortui) non solverunt.

Sed sancti, qui sunt in patria, non sunt in statu satisfaciendi; et ideo non est simile de eorum orationibus et de suffragiis (praesentis) Ecclesiae.«[1])

Etiamsi igitur suffragia curiae coelestis neque per se nec directe animabus purgatorii valent, indirecte tamen eisdem valere possunt, quatenus scilicet vivi per ista ad statum gratiae perveniunt atque in charitate proficiunt, qua commoti defunctis succurrant, vel etiam ad suffragium ferendum inspirante ob Sanctorum intercessionem Deo excitantur.

In hunc sensum s. Thomas, cum, utra missa, de Requiem an de festo alicujus Sancti, magis defuncto proficiat, quaerit, respondet.

»Ex parte — inquit — sacrificii oblati missa aequaliter prodest defuncto; et hoc est praecipuum, quod fit in missa.

Sed ex parte orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatae.

Sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem vel ejus, qui dicit missam, vel ejus, qui

---

[1]) Ibid. qu. 3 a 3 ad 6m. Arg. 6m est hoc: »Orationes totius coelestis curiae, si aliquid impetrare possunt, efficaciores essent, quam omnia praesentis Ecclesiae suffragia.

Sed multiplicatis suffragiis praesentis Ecclesiae factis pro aliquo in purgatorio existente totaliter (iste) absolveretur a poena. Cum ergo sancti, qui sunt in patria, eadem ratione orent pro illis, qui sunt in purgatorio, sicut et pro nobis aliquid impetrant, illos, qui sunt in purgatorio, totaliter orationes eorum a poena absolverent; quod falsum est, quia sic suffragia Ecclesiae pro defunctis facta superflua essent.«

facit dici, vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium in missa imploratur.«[1])

20. Similiter neque existentes in purgatorio sibi ipsos auxiliari posse dogma catholicum est. Sunt enim etiam isti extra statum satisfaciendi, etiamsi secundum quid in via ad terminum adhuc sunt.[2])

»Poena illa — inquit s. Thomas — quam animae in purgatorio sustinent, non potest proprie dici satisfactio, quia satisfactio opus meritorium requirit«; sed »illae animae, quae in purgatorio sunt, non sunt in statu merendi.«[3])

»Sed largo modo dicitur satisfactio poenae debitae solutio.«[4])

Unde animas purgatorii non satisfacere, sed satispati alii dicere malunt.

Damnatus est a Leone X. error Martini Luther 38: »Non probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis, animas in purgatorio esse extra statum merendi aut augendae charitatis.«[5])

Ut ex ipso addito »augendae charitatis« patet, Martinus Luther docuit, animas in purgatorio augmentum gratiae ac gloriae sibi mereri posse, quod est mereri simpliciter; unde etiam docuit: »Animae ex purgatorio liberatae suffragiis viventium minus beantur, quam si per se satisfecissent;«[6]) quod ex priore eius errore legitime consequitur.

---

[1]) 4 dist. 45 qu. 2 a 3 quaest. 1 ad 5m. Arg. 5m est hoc: »In diversis missis est idem altaris sacrificium.

Si ergo sacrificium computatur inter suffragia et non missa (i. e. certa missae formula), videtur, quod tantumdem valeat, quaecunque missa pro defuncto dicatur sive de b. Virgine sive de Spiritu sancto vel quaecunque alia; quod videtur esse contra Ecclesiae ordinationem, quae specialem missam pro defunctis (scilicet de Requiem) instituit.« Cf. ibid. quaest. 3 sol. 3.

[2]) Cf. cap. XV.

[3]) 4 dist. 17 qu. 2 a 4 quaest. 3 sol. 3. — [4]) Ibid. ad 3m.

[5]) Leonis X bulla »Exsurge« dat. 16. Maji 1520 n. 38.

[6]) Ibid. n. 40.

Ab ista autem haeresi longe alienus est s. Thomas, cum etiam ipse actum aliquem meritorium in purgatorio posse esse affirmat.

Nam ullum meritum praemii essentialis post hanc vitam fieri posse, prorsus negat,[1]) quod meritum simpliciter est; sed tantum meritum secundum quid affirmat, cum docet, eos, qui cum culpa peccati venialis decedant, per dolorem poenitentiae gratia informatum[2]) culpam delere, ita tamen, ut nullum gratiae et gloriae augmentum mereantur.

Itaque cum dogmate catholico concordat, cum ait: »Post hanc vitam non potest esse meritum respectu praemii essentialis, sed respectu alicujus accidentalis potest esse, quamdiu manet homo in statu viae aliquo modo; et ideo in purgatorio potest esse actus meritorius quantum ad remissionem culpae venialis.«[3])

»Venialia non variant statum hominis, quia neque tollunt neque diminuunt charitatem, secundum quam mensuratur quantitas gratuitae (i. e. supernaturalis) bonitatis animae; et ideo per hoc, quod venialia (in purgatorio) dimittuntur, talis manet anima, qualis prius.«[4])

21. In vivis autem, ut satisfacere possint, statum gratiae requiri iam supra diximus.[5])

Sed quoad defunctos aliquod dubium oritur, quia defunctorum ultimas de suffragiis sibi faciendis dispositiones interdum exsequuntur homines, qui in statu gratiae non sunt, ita ut ista, quae faciunt, non suffragari defunctis videantur.

Ad quod dubium s. Thomas respondet: »In suffragiis, quae fiunt per malos, duo possunt considerari: primo

---

[1]) Cf. etiam supra 5.

[2]) Hic dolor non habet contritionis rationem, »quia deest ei contritionis efficacia«. Cf. 4 dist. 17 qu. 2 a 4 quaest. 3 ad 2m et sol. 3.

[3]) 4 dist. 21 qu. 1 a 3 quaest. 1 ad 4m; cf. sol. 1 in fine.

[4]) Ibid. ad 3m. Arg. 3m est hoc: »Gregorius dicit hom. 13 in Ev., quod talis in judicio quisque futurus est, qualis de corpore exivit, quia lignum, ubi ceciderit, ibi erit (Eccle. XI, 3). Si ergo aliquis in hac vita exit cum veniali, in judicio cum veniali erit; et ita per purgatorium non expiatur a culpa veniali aliquis.«

[5]) Cf. cap. IV, 8.

ipsum opus operatum, sicut sacrificium altaris; et quia nostra sacramenta ex se ipsis efficaciam habent absque opere operantis, quam (efficaciam) aequaliter explent, per quoscunque fiant, quantum ad hoc suffragia per malos facta defunctis prosunt.

Alio modo quantum ad opus operantis; et sic distinguendum est, quia operatio peccatoris suffragia facientis potest uno modo considerari, ut est ejus; et sic nullo modo meritoria esse potest nec sibi nec alii; alio modo, in quantum est alterius; quod dupliciter contingit: uno modo, in quantum peccator suffragia faciens gerit personam totius Ecclesiae, sicut sacerdos, cum dicit in Ecclesia exsequias mortuorum; et quia ille intelligitur facere, cujus nomine vel vice fit, ut patet per Dionysium in cap. 13. Coelest. hierarch., inde est, quod suffragia talis sacerdotis, quamvis sit peccator, pro defunctis prosunt.

Alio modo (scilicet contingit), quando (peccator) agit ut instrumentum alterius. Opus enim instrumenti (formaliter ut instrumenti) est magis principalis agentis.

Unde quamvis ille, qui agit ut instrumentum alterius, non sit in statu merendi, actio tamen ejus potest esse meritoria ratione principalis agentis; sicut si servus in peccato existens quodcunque opus misericordiae facit ex praecepto domini sui charitatem habentis.

Unde si aliquis in charitate decedens praecipiat sibi suffragia fieri vel alius praecipiat charitatem habens, illa suffragia valent defunctis, quamvis illi, per quos fiant, in peccato existant.

Magis tamen valerent, si in charitate essent, quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria essent.« [1])

22. Ad complendam de suffragiis doctrinam reliquum est, ut quaeramus, num animae in purgatorio detentae, sicut non sibi ipsis, ita neque aliis, scilicet vivis, suffragari possint.

---

[1]) 4 dist. 45 qu. 2 a 1 quaest. 3 sol. 3; cf. ad 1m—6m.

»Illi — inquit s. Thomas — qui sunt in purgatorio, non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis.«[1])

[1]) S. theol. 2, 2 qu 83 a 11 ad 3m. 4 dist. 15 qu. 4 a 5 quaest. 2 ad 2m legitur: »Non sunt in statu merendi«; quae lectio si genuina est, sensu latiore verbum merendi accipitur pro impetratione.

Sic s. Thomas ipse argumentum solvit. Etenim jam ibid. a 6 quaest. 2 ad 2m, quod est: »Quicunque orat pro alio, alteri meretur. Sed sancti, qui sunt in patria, non sunt in statu merendi. Ergo nec in statu orandi« — ad 2m igitur respondet: »Quidam dicunt, quod non sunt in statu merendi quantum ad praemium essentiale, sed (sunt) quantum ad praemium accidentale; et ideo etiam aliis mereri possunt.

Sed quia meritum tantum viatorum est, ideo dicendum, quod aliud est impetrare et aliud mereri; et ideo sancti, si non possint mereri, possunt tamen nobis suis orationibus aliquid impetrare.«

4 dist. 45 qu. 3 a 3 autem arg. 4m hoc sibi objicit: »Quicunque oratione impetrat aliquid, quodammodo meretur illud.

Sed illi, qui sunt in patria, non sunt in statu merendi. Ergo non possunt suis orationibus nobis aliquid impetrare apud Deum.«

»Ad 4m — inquit s. Thomas — dicendum, quod, licet sancti non sint in statu merendi sibi, postquam sunt in patria, sunt tamen in statu merendi aliis vel potius ex merito praecedente alios juvandi; hoc enim apud Deum viventes meruerunt, ut eorum orationes exaudirentur post mortem.

Vel dicendum, quod oratio ex alio meretur et ex alio impetrat. Meritum enim consistit in quadam adaequatione ad finem, propter quem est, qui ei quasi merces redditur; sed orationis impetratio innititur liberalitate ejus, qui rogatur, quod tamen ipse (scilicet orans, non. meruit.

Et ita, quamvis sancti non sint in statu merendi, tamen non sequitur, quod non sint in statu impetrandi.«

Denique in S. theol. 2, 2 qu. 83 a 11, ubi s. Thomas quaerit: »Utrum sancti, qui sunt in patria, orent pro nobis«, arg. 1m est hoc: »Videtur, quod sancti, qui sunt in patria, non orent pro nobis. Actus enim alicujus magis est meritorius sibi, quam aliis. Sed sancti, qui sunt in patria, non merentur sibi nec pro se orant, quia jam sunt in termino constituti. Ergo neque pro nobis orant.«

»Ad 1m — inquit s. Thomas — dicendum, quod sanctis, qui sunt in patria, cum sint beati, nihil deest beatitudinis, nisi gloria corporis, pro qua orant (cf. 4 dist. 15 qu. 4 a 6 quaest. 2 sol. 2, qui locus non contrarius est).

Orant autem pro nobis, quibus deest beatitudinis ultima perfectio, et eorum orationes habent efficaciam impetrandi ex praecedentibus eorum meritis et ex divina acceptatione.«

Ad statum orandi secundum s. Thomam requiruntur duo: primo possessio beatitudinis aeternae, secundo cognitio precum omnium sive mentalium sive vocalium, quae ad aliquem a quocunque diriguntur.

»Nihil — inquit — petitur ab aliquo, qui non habet; unde, cum beata vita sit, quae in orando petitur, ad illos solos dirigi potest, qui jam beatam vitam habent.«[1])

23. Sane quidem non ita ad beatos dirigitur oratio, ut ipsi vitam beatam dent, sed ut ad adipiscendam illam a Deo intercedendo adjuvent.

Nam »oratio — inquit s. Thomas — porrigitur alicui dupliciter: uno modo quasi per ipsum implenda, alio modo sicut per ipsum impetranda.

Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus, quia omnes orationes nostrae ordinari debent ad gratiam et gloriam consequendam (quae est finis ultimus totius vitae humanae), quae solus Deus dat secundum illud Psalm. LXXXIII, 12: »Gratiam et gloriam dabit Dominus«.

Sed secundo modo orationem porrigimus sanctis angelis et hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum precibus et meritis orationes nostrae sortiantur effectum.«[2])

Vult igitur s. Thomas per primum requisitum ad statum orandi nihil aliud, quam principium universale etiam in hac re statuere ac salvare, quod scilicet Deus in rerum gubernatione inferiora per superiora ad se reducit.

Superiores autem nobis sunt beati, quia iam Deo, fine suo, fruuntur ideoque pro summa sua perfectione atque excellentia in viatores influere possunt. »Sic Dei cooperatores efficiuntur, quo nihil est divinus, ut dicit Dionysius, c. 3 De coel. hier.«[3])

---

[1]) 4 dist. 15 qu. 4 a 5 quaest. 2 sol. 2.

[2]) S. theol. 2, 2 qu. 83 a 4 c.

[3]) 4 dist. 45 qu. 3 a 1 sol.

»Habet enim — inquit s. Thomas — hoc divinus ordo, ut ex superiorum excellentia in inferiora refundatur, sicut ex claritate solis in aërem.«[1])

24. Alterum ad statum orandi requisitum est, ut ii, qui interpellantur, preces ad se directas omnes, etiam mentis, cognoscant, quia secus intercedere specialiter pro interpellantibus nequeunt.

In tali autem statu non sunt nisi soli beati.

Nam »mortui — inquit s. Thomas — ea, quae in hoc mundo aguntur, considerata eorum naturali condicione non cognoscunt et praecipue interiores motus cordis.

Sed beatis, ut Gregorius dicit in 12 Mor c. 21, in Verbo manifestatur illud, quod decet eos cognoscere de eis, quae circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis; maxime autem excellentiam eorum decet, ut cognoscant petitiones ad eos factas vel voce vel corde; et ideo petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifestante cognoscunt.«[2])

»Cogitationes quidem cordium solus Deus per se ipsum novit; sed tamen alii cognoscere possunt, quatenus eis revelatur vel per visionem Verbi vel quocunque alio modo.«[3])

Sunt igitur soli beati in statu orandi pro nobis, quia nobis omni modo superiores sunt atque interpellationes nostras in Verbo vident.

Unde »ad solos illos oratio nostra dirigi potest, non autem ad illos, qui sunt in mundo, neque ad illos, qui in purgatorio sunt.«[4])

Cur non dirigi potest? Ideo non potest dirigi simpliciter, quia, si corde tantum fit, eam neque ii resciunt, qui in mundo sunt, neque ii, qui in purgatorio sunt; sin voce, eam resciunt ex illis, qui sunt in mundo, ii tantum, quibus loquendo petitionem suam aliquis aperit, animae autem in purgatorio ne vocem quidem percipiunt.

---

[1]) S. theol. 2, 2 qu. 83 a 11 c.

[2]) Ibid. a 4 ad 2m. Cf. ibid. 1 p. qu. 89 a 8, o.

[3]) 4 dist. 45 qu. 3 a 1 ad 5m; cf. sol. 2.

[4]) 4 dist. 15 qu. 4 a 5 quaest. 2 sol. 2.

»Illi, — inquit s. Thomas — qui sunt in hoc mundo aut in purgatorio, nondum fruuntur visione Verbi, ut possint cognoscere ea, quae nos cogitamus vel dicimus; et ideo eorum suffragia non imploramus orando, sed a vivis petimus colloquendo.«[1])

Quia igitur vivis colloquendo petitionem nostram manifestare possumus, ideo ab iis orationis suffragium quidem imploramus, sed non orando simpliciter.

Itaque s. Thomas in illo loco, ubi dicit ad solos beatos posse orationem nostram dirigi, hanc subjungit restrictionem: »Quamvis illis, qui in mundo sunt, supplicatio vel petitio aliqua fieri possit.«[2])

Concordat cum hac doctrina praxis s. Pauli, qui in epistolis suis fidelibus petitiones suas indicavit, ut orarent.[3])

S. Jacobus autem docet: »Orate pro invicem; multum enim valet deprecatio justi assidua.«[4])

Viventes igitur in mundo, etsi in statu orandi non sunt, orationis tamen suffragium exhibere possunt, modo in charitate sint,[5]) tum specialiter pro iis, qui ab ipsis voce

---

[1]) S. theol. 2, 2 qu. 83 a 4 ad 3m.

[2]) 4 dist. 15 qu. 4 a 5 quaest. 2 sol. 2.

[3]) Rom. XV, 30—32: »Obsecro ergo vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judaea, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis, ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei et refrigerer vobiscum.«

[4]) Jac. V, 16.

[5]) Orationis suffragium dupliciter potest considerari, scilicet quatenus oratio satisfactoria et quatenus impetratoria est. Satisfactoria oratio non est nisi ejus, qui charitatem habet, sicut nec meritoria (cf. S. theol. 2, 2 qu. 83 a 15), quia satisfactio opus meritorium requirit.

Itaque peccator orando nec pro se nec pro alio sive vivo sive defuncto satisfacere potest.

Sed quatenus oratio impetratoria est, innitens scilicet misericordiae Dei, »peccatoris orationem ex bono naturae desiderio procedentem Deus audit (i. e. exaudit), non quasi ex justitia, sed ex pura misericordia, observatis tamen quatuor condicionibus, ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, pie et perseveranter.« S. theol. 2, 2 qu. 83 a 16 c.

petunt, tum pro omnibus in communi sive vivis sive mortuis.

25. Videntur igitur animae purgatorii, quae et ipsae in statu orandi nondum sunt, saltem pro vivis in communi posse orare et orando suffragari, etsi specialiter pro aliquo orare nequeunt, quippe cujus specialem petitionem nesciant, nisi sibi a Deo revelatur; quod praeter legem communem est ideoque, si forte interdum fit, raro tamen fieri recte creditur.

Sunt igitur, qui animas purgatorii saltem pro vivis in communi orationis suffragium praestare posse asserant, sicut nos vel pro omnibus vivis et defunctis vel pro amicis et benefactoribus aut inimicis vel alio aliquo genere hominum orare solemus.[1])

Cuius asserti probatio haberi videtur ex 2 Macc. XV, 14,

»Sed possunt malorum orationes esse fructuosae (etiam) aliis, pro quibus oratur, propter eorum (scilicet malorum) devotionem vel in quantum orant in persona Ecclesiae (ut malus sacerdos, cf. S. theol. 3 p. qu. 82 a 6).« 4 dist. 5 qu. 2 a 2 quaest. 2 ad 2m.

»Istae enim quatuor condiciones non hoc modo requiruntur ad efficaciam impetrandi, quasi nihil impetretur, si aliqua desit, quia etiam quandoque aliquis pro alio orans auditur, sed quia his positis semper oratio efficaciam habet impetrandi, quia impetrationis virtus magis est ex proposito ejus, cui oratur (i. e. ad quem oratio dirigitur), quam ex orantis merito; et ideo quandoque peccatores orantes audiuntur, quando eorum oratio divino proposito concordat.«

Subjungit ibidem s. Thomas: »Tamen sciendum est, quia quandoque aliquis pie petit, qui pietatis virtutem non habet, sicut aliquis aliquando justa facit, qui justitiae habitum non habet; et sic etiam peccatores aliquando possunt pie orare.« 4 dist. 15 qu. 4 a 7 quaest. 3 ad 1m.

Sic igitur peccator orando solis vivis prodesse potest, scilicet pro iis aliquando aliquid impetrando.

Quando et quatenus peccatores defunctis suffragari possint, vide supra 21; secundum quod etiam interpretanda sunt ea, quae s. Thomas 2 dist. 40 a 4 ad 5m dicit.

[1]) Pro aliqua persona singulari animae purgatorii non possunt orare nisi sub condicione, si scilicet adhuc vivat et indigeat, sicut nos pro defunctis sub simili condicione suffragia facimus, si scilicet in purgatorio sint ideoque indigeant; quod nescimus, nisi forte a Deo ipso vel per animas, ut vivis appareant, permissas (cf. 4 dist. 45 qu. 1 a 1 quaest. 3 sol. 3) nobis manifestatur.

ubi de Jeremia legitur: »Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Domini.«

Quam orationem suffragatam esse populo Israel ibidem legimus; nam ad victoriam eius valuit.

Erat autem Jeremias propheta tum temporis in limbo patrum, ergo non in statu orandi, quia visione carebat intuitiva, ad quam ante Christi ad inferos descensum nullus sanctus A. T. pervenit.

Videtur igitur patrum in limbo existentium quoad suffragandum condicio valde similis fuisse condicioni animarum purgatorii, quae et ipsae visione Dei intuitiva quidem carent, in charitate tamen, sicut illi, sunt, per quam ad corpus Christi mysticum pertinent, ita ut inter utramque condicionem hoc solum intersit, quod istae purgantur, patres vero a poena immunes erant.[1])

Atque charitas ipsa animas purgatorii non minus ad auxiliandum vivis per orationem commovere videtur, quam patres antiquos, quos eadem charitas ad suffragandum populo Dei impulit.

26. Nihilominus tamen s. Thomas, quamvis patrum in limbo existentium potestatem pro vivis saltem in communi orandi agnoscat, cum illum s. Scripturae locum ad probandam argumento, quod a minori ad majus dicitur, sanctorum pro nobis intercessionem assumat,[2]) eandem potestatem penes animas purgatorii esse negat.

Objicit enim sibi hoc argumentum: »In dialogis Gregorii (M.) libr. IV, cap. 40 legitur, quod Paschasius, qui etiam post mortem miraculum fecit, revelatus est beato Germano, Capuano episcopo, in purgatorio esse.

Ergo videtur, quod ad eos, qui non sunt in patria, possit oratio dirigi.«[3])

Ad quod respondet »dicendum, quod in miraculis prae-

[1]) Cf. 4 dist. 45 qu. 1 a 2 quaest. 1 sol. 1.

[2]) S. theol. 2, 2 qu. 83 a 11 Sed contra; cf. 4 dist. 45 qu. 3 a 3 Sed contra 1°.

[3]) 4 dist. 15 qu. 4 a 5 quaest. 2, 3m.

cipue attenditur fides et devotio orantis; unde etiam Dominus mulieri, quam sanavit, dixit Matth. IX, 22: »Fides tua te salvam fecit«.

Et quia ille propter excellentiam meritorum credebatur in patria esse, ideo orabatur, et talis oratio propter fidem orantium exaudiebatur tunc, ut vita illius approbaretur, non quod ille pro aliis in purgatorio existens oraret.«[1])

Hoc responsum ultra argumentum oppositum longe excedit; nam satis fuisset ad id respondere, ad b. Paschasium non potuisse dirigi istam orationem specialem, cum nondum in statu orandi esset ideoque precem specialem cognoscere nequiret.

Attamen tali restrictione s. Thomas non contentus est, sed simpliciter affirmat, b. Paschasium pro aliis in purgatorio existentem non orare; nec dicit, pro illis, qui ipsum tum interpellabant, eum non orare, sed in universum pro aliis eum non orare: »Non — inquiens — quod ille pro aliis in purgatorio existens oraret.«

27. Secundum hanc igitur extensionem alii s. Thomae loci interpretandi sunt, qui per se considerati non omnem orationem suffragantem, sed tantum statum orandi ab animabus purgatorii removere videntur.

»Illi, — inquit — qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores nobis quantum ad poenas, quas patiuntur, et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis.«[2])

Attamen alio loco rursus ait: »Quamvis illi, qui sunt in purgatorio, sint in majori securitate, quam nos, tamen sunt in majori afflictione et iterum non sunt in statu

---

[1]) Ad 3m.

[2]) S. theol. 2, 2 qu. 83 a 11 ad 3m. Arg. 3m est hoc: »Sicut sancti, qui sunt in patria, sunt superiores nobis, ita et illi, qui sunt in purgatorio, quia jam peccare non possunt. Sed illi, qui sunt in purgatorio, non orant pro nobis, sed magis nos pro eis.«

Quod argumentum si cum responso comparaveris, s. Thomas id »non orant pro nobis« ad solum statum orandi restrinxisse videtur.

merendi (i. e. impetrandi); et ideo magis indigent, quod pro eis oretur, quam quod ipsi orent.« [1])

Duas igitur hic affert rationes, cur animae purgatorii non pro nobis orant: primo quia non melioris, sed deterioris condicionis sunt, quam viventes sancti, propter majorem afflictionem, et secundo, quia non sunt in statu impetrandi.

Cum autem sanctos in mundo viventes posse pro nobis orare concedat, quamvis eosdem in statu orandi esse neget, manifestum est, secundum s. Thomam animas purgatorii ne posse quidem orationis suffragium vivis exhibere.

Objicit enim sibi ibidem: »Videtur, quod possit oratio dirigi etiam ad sanctos non in patria existentes.

Non enim ad sanctos orationes fundimus, nisi in quantum sunt Deo viciniores nobis (i. e. quam nos), quia Deus per ea, quae sunt sibi magis propinqua, in distantia radios suae bonitatis emittit, ut Dionysius dicit cap. 4 De divin. nom.

Sed sancti etiam in hoc mundo existentes sunt nobis superiores. Ergo debemus eos orare.« [2])

Ad quod s. Thomas respondet, »dicendum, quod, quamvis sancti in mundo existentes sint nobis superiores et possint pro nobis orare, non tamen ad illum gradum superiorem pervenerunt, ut scilicet beatitudinem, quam nos non habemus, illi habeant.« [3])

Ergo »sancti in mundo existentes possunt, pro nobis orare«, cum »illi tamen, qui sunt in purgatorio, magis indigeant, ut pro eis oretur, quam quod ipsi orent.«

28. Ex citatis locis simul cognoscitur principium universale, secundum quod s. Thomas totam de intercessione sanctorum quaestionem solvit.

Est autem id, quod Dionysius pronunciat his verbis: »Deus per ea, quae sunt sibi magis propinqua, in distantia radios suae bonitatis emittit.«

---

[1]) 4 dist. 15 qu. 4 a 5 quaest. 2 ad 2m. Arg. 2m est hoc: »Illi, qui sunt in purgatorio, sunt certi de sua salute. Ergo sunt in meliori statu, quam nos sumus. Ergo possumus eos orare.«

[2]) Ibid. 1m. — [3]) Ibid. ad 1m.

Deo propinqui simpliciter sunt sancti, qui sunt in patria, quia Deum vident facie ad faciem eoque plene fruuntur; ideo sunt in statu orandi pro aliis.

»Sancti — inquit s. Thomas — non orantur, nisi in quantum sunt in plena divinitatis participatione. Sed non participant plene divinitatem, nisi in quantum participant beatitudinem, ut Boëtius probat in 2 De consol. prosa 10. Ergo sancti, qui sunt in beatitudine, tantum orandi sunt.«[1])

Qui autem in via sunt, »peregrinantur a Domino«,[2]) si cum beatis compares, etsi secundum charitatem Deo conjuncti sunt. Ideo suffragari quidem possunt et vivis et mortuis, sed non sunt in statu orandi.

Denique qui in purgatorio sunt, quamvis cum charitate decesserint, ad tempus tamen in exilio et quodammodo damnati sunt, in quantum damnatio poenam damni significat, quae utique pro animabus purgatorii ad tempus est; et ideo neque in statu orandi sunt neque quidquam vivis impetrare possunt, sicut nec sibi.

Inde manifestum est, istarum animarum condicionem quoad suffragium ferendum esse deterrimam; infra quam est condicio damnatorum in inferno, qui in aeternum nequeunt aut sibi aut aliis auxiliari.

Inde simul nova lux atrocitati poenarum purgatorii affertur.

Nam ut sunt charitate perfectae, illae animae inde magnum dolorem simul ac pudorem percipiunt, quod in poenam peccatorum suorum, sicut non sibi, ita ad tempus neque aliis subvenire possunt. Sunt igitur similes filiis alicujus regis potentissimi, qui in poenam offensae et ipsos ad tempus a facie sua relegat et pro aliis intercedendi jure honorifico ad tempus privat.

S. Thomas igitur magis intellectus, quam cordis sequitur ratiocinium et principium universale tamdiu tenet, donec exceptio aliqua certis argumentis probetur.

---

[1]) Ibid. Sed contra 2°.

[2]) 2 Cor. V, 6.

Caput VII: Quibus operibus satisfactionem fieri oporteat.

1. Satisfactionis opera debent esse bona ac poenalia.

Nam »satisfactio — inquit s. Thomas — respectum habet ad praeteritam offensam, pro qua recompensatio fit per satisfactionem, et etiam ad futuram culpam, a qua per eam praeservamur; et quantum ad utrumque exigitur, quod satisfactio per opera poenalia fiat.

Recompensatio enim offensae importat adaequationem, quam oportet esse eius, qui offendit, ad eum, in quem offensa commisa est. Adaequatio autem in humana justitia attenditur per subtractionem ab uno, qui plus habuit justo, et additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid.

Deo autem quamvis, quantum ex parte sui est, nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando (videlicet honorem); unde oportet ad hoc, quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a pecccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat.

Opus autem bonum ex hoc, quod est huiusmodi (i. e. bonum), non subtrahit aliquid (scilicet ab operante), sed magis perficit ipsum; unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi poenale sit.

Et ideo ad hoc, quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet, quod sit bonum, ut in honorem Dei sit, et poenale, ut aliquid peccatori subtrahatur.

Similiter etiam poena a culpa futura praeservat, quia non facile homo ad peccata redit, ex quo poenam expertus est; unde secundum Philosophum 1 Ethic., c. 2 poenae medicinae sunt.« [1])

2. Nec tamen opera, quae ex se poenalia sunt, minus satisfactoria sunt, si ex fervore charitatis poenalitas minus sentitur.

Nam »sicut in satisfactione consideratur poenalitas, ita

[1]) 4 dist. 15 qu. 1 a 4 quaest. 1 sol. 1 (S. theol. s. 3 p. qu. 15 a 1 c); cf. Conc. Trid. Sessio XIV, cap. 8 et can. 13, ubi Deo satisfieri poenis definitur.

in merito consideratur difficultas. Diminutio autem difficultatis ex parte ipsius actus diminuit meritum ceteris paribus; sed diminutio difficultatis ex promptitudine voluntatis non diminuit meritum, sed auget.

Et similiter diminutio poenalitatis ex promptitudine voluntatis, quod facit charitas, non diminuit efficaciam satisfactionis, sed auget.«[1])

3. Procul dubio poenalia sunt flagella a Deo ipso inflicta; sed cum poenae ab alio inflictae voluntariae esse non videantur, quod ad satisfaciendum tamen requiritur, quaeritur, num et quo modo illa flagella satisfactoria esse possint.

Quam quidem quaestionem Concilium Tridentinum affirmando solvit. Docet enim, tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.«[2])

Hanc doctrinam s. Thomas etiam ipse professus est et sapientibus his vindicavit rationibus:

»Recompensatio — inquit — offensae praeteritae potest fieri et ab eo, qui offendit, et ab alio. Quando autem fit ab alio, talis recompensatio vindicationis magis, quam satisfactionis rationem habet. Quando autem fit ab ipso, qui offendit, etiam satisfactionis rationem habet.[3])

Unde si flagella, quae pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis, rationem satisfactionis accipiunt.

---

[1]) Ibid. ad 2m. Arg. 2m est hoc: »Quanto aliquod opus ex majori charitate procedit, tanto minus est poenale, quia charitas poenam non habet (1. Joa. IV, 18). Si ergo oportet opera satisfactoria esse poenalia: quanto magis sunt ex charitate facta, tanto minus erunt satisfactoria; quod falsum est.«

[2]) Conc. Trid. Sessio XIV, cap. 9; cf. can. 13.

[3]) Cf. cap. III, 7.

Fiunt autem ipsius, in quantum ea acceptat ad purgationem peccatorum eis utens patienter. Si autem ratio eis per impatientiam dissentiat, tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius, et ideo non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantum.«[1])

»Sicut igitur ‚sub uno igne', ut Augustinus dicit 1 De civitate Dei c. 8, ‚aurum rutilat et palea fumat', ita eisdem flagellis et boni purgantur et mali magis inficiuntur per impatientiam; et ideo, quamvis flagella sint communia, tamen satisfactio est tantum bonorum.«[2])

4. Flagella a Deo inflicta semper peccatum respiciunt, si non actuale, tamen originale, ideoque etsi pro aliquo non semper rationem vindicationis actualis peccati praeteriti, semper tamen rationem medicinae praeservantis ab actuali peccato futuro habent.

---

[1]) 4 dist. 15 qu. 1 a 4 quaest. 2 sol. 2 (S. theol. s. 3 p. qu. 15 a 2 c); cf. ad 1m: »Quamvis illa flagella non sint omnino in potestate nostra, tamen quantum ad aliquid sunt, prout scilicet eis patienter utimur; et sic homo facit de necessitate virtutem; unde et meritoria et satisfactoria esse possunt.«

Arg. 1m est hoc: »Nihil potest esse satisfactorium, nisi quod est meritorium (quia videlicet satisfieri nequit nisi ex principio charitatis). Sed non meremur nisi per ea, quae in nobis (i. e. voluntaria) sunt. Cum ergo flagella, quibus a Deo punimur, non sint in nobis, videtur, quod satisfactoria esse non possint.«

Cf. 3 dist. 18 qu. 1 a 5, 4m: »Meriti (et satisfactionis) principium est in nobis, quia voluntarium est, cujus principium (scilicet voluntas) est intra, ut dicitur 3 Ethic. c. 4. Sed principium passionis non est in patiente, sed in agente (i. e. infligente). Ergo Christus per passionem non meruit (nec satisfecit).«

Ad 4m — inquit s. Thomas — dicendum, quod passio, in quantum passio, non est meritoria (nec satisfactoria), quia sic principium ejus est extra; sed est meritoria (et satisfactoria), in quantum est acceptata per voluntatem; sic enim est voluntaria et principium ejus est intra.

Acceptatur autem passio a voluntate dupliciter: »vel sicut voluntarium absolute, sicut in Christo, qui se voluntarie obtulit passioni, ut nostrae redemptionis opus expleretur; vel sicut voluntarium mixtum, sicut quando aliquis, etsi vellet non pati, tamen magis vult sustinere passionem, quam aliquid contra Deum faciat.«

[2]) Ibid. ad 2m.

»Flagella — inquit s. Thomas — respectum habent ad culpam praeteritam semper, sed non semper ad culpam personae, sed ad culpam naturae.

Si enim in humana natura nulla culpa praecessisset, nulla poena fuisset. Sed quia culpa in natura praecessit, personae alicui divinitus poena infertur sine culpa personae ad meritum virtutis et cautelam peccati sequentis.

Et haec etiam duo necessaria sunt in satisfactione. Oportet enim esse opus meritorium, ut honor Deo exhibeatur, et oportet esse virtutum custodiam, ut a futuris peccatis praeservemur.« [1])

5. Quodsi flagella a Deo inflicta satisfactoria sunt, eo magis satisfactoria sunt opera poenalia, quae sponte suscipimus vel confessarius nobis imponit.

Haec opera revocari solent ad tria genera, scilicet ad orationem, jejunium, eleemosynam.[2]) Ad orationem refertur omnis actus cultus divini, sive est latriae sive duliae vel hyperduliae, quae ad latriam terminantur; ad jejunium omnis actus corporalis afflictionis sive mortificationis; ad eleemosynam denique omne opus misericordiae.

»Quidquid — inquit s. Thomas — ad afflictionem corporis pertinet, totum ad jejunium refertur; et, quidquid in proximi utilitatem expenditur, totum eleemosynae rationem habet; et similiter, quaecunque latria exhibetur Deo, orationis accipit rationem; et ideo etiam unum opus potest habere plures rationes satisfaciendi;« [3]) quia scilicet unum opus ex natura sua plures rationes satisfaciendi habere potest, sicut peregrinationes, quae et corporis afflictivae et latreuticae sunt.

---

[1]) Ibid. ad 3m. Arg. 3m est hoc: »Satisfactio respicit peccata praeterita. Sed aliquando ista flagella infliguntur illis, qui peccata non habent, sicut de Job patet. Ergo videtur, quod non sint satisfactoria.«

[2]) Cf. Conc. Trid. Sessio XIV, can. 13.

[3]) 4 dist. 15 qu. 1 a 4 quaest. 3 ad 5m (S. theol. s. 3 p. qu. 15 a 3). Arg. 5m est hoc: »Peregrinationes etiam injunguntur pro satisfactione et disciplinae sive flagellationes, quae non computantur sub aliquo horum (trium). Ergo insufficienter numerantur.«

6. Illa autem tria genera operum satisfactoria esse s. Thomas sic probat:

»Satisfactio — inquit — debet esse talis, per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei.

Nos autem non habemus nisi tria bona, scilicet bona animae, bona corporis et bona fortunae, scilicet exteriora.

Ex bonis quidem fortunae subtrahimus aliquid nobis per eleemosynam; sed ex bonis corporalibus per jejunium; ex bonis autem animae non oportet, quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam vel quantum ad diminutionem ipsorum, *quia per ea efficimur Deo accepti,* sed per hoc, quod ea submittimus Deo totaliter; et hoc fit per orationem.

Competit etiam iste numerus ex parte illa, qua satisfactio peccatorum causas excidit, quia radices peccatorum tres ponuntur 1. Joa. II, 16: ‚concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae'. Et contra concupiscentiam carnis ordinatur jejunium, contra concupiscentiam oculorum eleemosyna, contra superbiam vitae oratio, ut Augustinus dicit Super Matthaeum.

Competit etiam quantum ad hoc, quod satisfactionis est, peccatorum suggestionibus aditum non indulgere, quia omne peccatum vel in Deum committimus, et contra hoc ordinatur oratio; vel in proximum, et contra hoc ordinatur eleemosyna; vel in nos ipsos, et contra hoc ordinatur jejunium.«[1])

7. »Quamvis autem singula istorum (operum) per quandam convenientiam singulis peccatis approprientur, quia congruum est, ut, in quo quis peccavit, in hoc puniatur, et quod peccati commissi per satisfactionem radix abscindatur (i. e. ut satisfactio per se peccato contrariando directa medicina fiat), tamen quodlibet horum pro quolibet peccato satisfacere potest. Unde ei, qui non potest unum ex eis perficere, injungatur aliud; et praecipue elee-

---

[1]) Ibid. sol. 3.

mosyna aliorum vices supplere potest, in quantum alia satisfactionis opera per eleemosynam sibi quisque meretur quodammodo in illis, quibus eleemosynam tribuit.«[1])

Itaque prudentis confessarii est, singulis peccatorum generibus contrarias adhibere medicinas, nisi condicio poenitentis aliud suadet.[2])

8. Satisfactorium igitur est jejunium, »quia et pro libidine peccati praeteriti subtractionem delectationis recompensat, afflictionem etiam addens, et futura peccata impedit, concupiscentiam debilitans.«[3])

Et haec jejunii poena, sicut quaelibet poena corporalis, hominem non tantum secundum corpus punit, sed etiam »in animam redundat, quae ipsam sentit, sicut et per corpus delectatione illicita fruebatur in peccato.«[4])

9. Item satisfactoria est oratio.

»Nam satisfactio respicit et culpam praeteritam, pro cuius offensa recompensationem facit, et culpam futuram, contra quam est medicina salvans; et haec duo orationi competunt.

Initium[5]) enim peccati et radix est superbia; et ideo, per quod homo spiritum suum humiliter Deo subdit in oratione, et pro superbia praecedentis offensae recompensationem facit et aditum futurae culpae aufert radicem ei amputans.

Et ideo oratio plene habet satisfaciendi rationem.«[6])

---

[1]) Ibid. ad 3m.

[2]) Cf. Conc. Trid. Sess. 14 c. 8: »Debent sacerdotes Domini pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones injungere.«

[3]) 4 dist. 15 qu. 3 a 1 quaest. 5 sol. 5; cf. S. theol. 2, 2 qu. 147 a 1 c et a 3, c.

[4]) Ibid. ad 3m.

[5]) Superbia est initium omnis peccati historice, quia peccatum protoparentum superbia erat, et interpretative, quia ratio mali in omnibus peccatis ex parte aversionis a Deo est, quae per se ad superbiam pertinet, ad cetera peccata autem ex consequenti, et secundum redundantiam quandam in alia peccata, quia omnia peccata ex superbia oriri possunt. Cf. S. theol. 2, 2 qu. 162 a 7 et a 2; ibid. qu. 163 a 1 et 2; 1, 2 qu. 84 a 2.

[6]) 4 dist. 15 qu. 4 a 7 quaest. 1 sol. 1.

Est autem »satisfactoria oratio et mentalis et vocalis, si in charitate fiat: vocalis quidem, quia habet exteriorem laborem et sic poenam quandam; et in quantum in ea manet virtus praecedentis intentionis, habet etiam rationem boni meritorii, quae duo ad opus satisfactorium requiruntur.

Similiter etiam oratio mentalis satisfactoria est, quia, quamvis habeat jucunditatem, habet tamen et poenam admixtam, quia dicit Gregorius 33 Mor. c. 23: ‚Orare est amaros gemitus in compunctione resonare' vel pro peccatis vel pro dilatione patriae; et praeterea ipsa mentis elevatio est carnis afflictio«, ut »dicit Gregorius Super Ezech. hom. 2 lib. 2: ‚Dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis'; unde et nervus femoris Jacob ex lucta angeli emarcuisse legitur in Gen. XXXII, 25;[1]) et afflictio carnis redundat in mentem, in quantum ei unita est, et etiam in superbientem spiritum, cujus vulnus oratio sanat. Sine poena oratio humilis esse non potest.«[2])

Itaque mentalis quoque oratio poenalis est ideoque satisfactionis rationem habet vel ex parte objecti, pro quo oratur, vel ex parte ipsius actus, qui propter abstractionem a sensibilibus et ad Deum elevationem vires sensibiles defatigat et propter conjunctam humiliationem ipsum spiritum affligit.

10. Denique satisfactoria eleemosyna est, sive sola largitio exteriorum bonorum sive etiam alia obsequia proximo indigenti exhibita intelliguntur.[3])

---

[1]) 4 dist. 15 qu. 1 a 4 quaest. 3 ad 1m; cf. S. theol. 2, 2 qu. 180 a 7 ad 2m et ad 4m.

[2]) 4 dist. 15 qu. 4 a 7 quaest. 1 ad 1m.

[3]) Conc. Trid. Sess. 14 can. 13 eleemosynam dicit solam exteriorum bonorum largitionem; quare praeter eleemosynam »alia etiam pietatis opera« commemorat.

Pietatis opus dicitur opus misericordiae, quia per Jesum Christum, sicut Deum habemus communem patrem, ita inter nos fratres sumus. »Pietas autem est, per quam parentibus patriaeque benevolentiae officium impendimus« et consequenter sanguine ac patria junctis.

Itaque »quantum ad christianam pietatem requiritur, ut homo

Nam omnis eleemosyna actus est misericordiae, quae est de aliena miseria tristitia ideoque procul dubio poenae rationem habet.

Praeterea omnis eleemosynae exhibitio aliquem corporis laborem sive afflictionem secum fert.

Denique eleemosyna, quatenus bonorum exteriorum subtractio est, hac subtractione ipsa poenalis est, quia bona exteriora ordinantur ad hominem,[1]) cuius indigentiis diminutis his bonis minus satisfieri potest.

II. Distinguuntur eleemosynae in septem corporales et septem spirituales, cuius distinctionis rationem s. Thomas hanc ponit:

»Eleemosynarum distinctio convenienter sumitur secundum diversos defectus proximorum, quorum quidam sunt ex parte animae, ad quos ordinantur spirituales eleemosynae, quidam vero ex parte corporis, ad quos ordinantur eleemosynae corporales.

Defectus enim corporalis aut est in vita aut est post vitam. Si quidem est in vita, aut est communis defectus respectu eorum, quibus omnes indigent, aut est specialis propter aliquid accidens superveniens.

Si primo modo (i. e. communis), aut defectus est interior aut exterior.

Interior quidem est duplex: unus quidem, cui subvenitur per alimentum siccum, scilicet fames, et secundum hoc ponitur pascere esurientes; alius autem est, cui subvenitur per alimentum humidum, scilicet sitis, et secundum hoc dicitur potare sitientem.

Defectus autem communis respectu exterioris auxilii est duplex: unus respectu tegumenti, et quantum ad hoc ponitur vestire nudum; alius autem respectu habitaculi, et quantum ad hoc ponitur suscipere hospitem.

Similiter autem si sit defectus aliquis specialis, aut est ex causa intrinseca, sicut infirmitas, et quantum

omnibus hominibus sit benevolus, quia omnes sumus ejusdam patriae« ejusdemque patris coelestis. Cf. 1 Tim. IV, lect. 2.

[1]) Cf. S. theol. 1, 2 qu. 2 a 1 c.

ad hoc ponitur visitare infirmum; aut est ex causa extrinseca, et quantum ad hoc ponitur redemptio captivorum.[1])

Post vitam autem exhibetur mortuis sepultura.[2])

Similiter autem spiritualibus defectibus spiritualibus actibus subvenitur dupliciter: uno modo poscendo auxilium a Deo, et quantum ad hoc ponitur oratio, qua quis pro aliis orat; alio modo impendendo humanum auxilium et hoc tripliciter: uno modo contra defectum intellectus; et si quidem sit defectus speculativi intellectus, adhibetur ei remedium per doctrinam, si autem practici intellectus, adhibetur ei remedium per consilium.

Alio modo est defectus ex passione appetitivae virtutis, inter quos (scilicet defectus) est maximus tristitia, cui subvenitur per consolationem.

Tertio modo ex parte inordinati actus, qui quidem tripliciter considerari potest: uno modo ex parte ipsius peccantis, in quantum procedit ab eius inordinata voluntate; et sic adhibetur remedium per correctionem;[3])

---

[1]) Cf. S. theol. 2, 2 qu. 32 a 2 ad 2m: »Omnes aliae necessitates (corporales) ad has (septem) reducuntur.« Sic »caecitas et claudicatio sunt infirmitates quaedam; unde dirigere caecum et sustentare claudum reducuntur ad visitationem infirmorum.

Similiter etiam subvenire contra quamcunque oppressionem illatam extrinsecus reducitur ad redemptionem captivorum.«

) Cf. ibid. ad 3m: »Sepultura mortui non confert ei quantum ad sensum, quem corpus post mortem habeat. Et secundum hoc Dominus dicit, quod interficientes corpus non habent amplius, quod faciant. Et propter hoc etiam Dominus non commemorat sepulturam inter alia misericordiae opera, sed enumerat solum illa, quae sunt evidentioris necessitatis (Matth. XXV). Pertinet autem ad defunctum, quid de eius corpore agatur, tum quantum ad hoc, quod vivit in memoriis hominum, cuius honor dehonestatur, si insepultus remaneat, tum etiam quantum ad affectum, quem adhuc vivens habebat de suo corpore, cui piorum affectus conformari debet post mortem ipsius; et secundum hoc commendantur aliqui de mortuorum sepultura, ut Tobias et illi, qui Dominum sepelierunt, ut patet per Augustinum in libr. De cura pro mortuis agenda (c. 3).« Cf. 4 dist. 45 qu. 2 a 3 quaest. 3, o.

[3]) Cf. ibid. ad 3m: »Correctio peccantium quantum ad ipsam

alio modo ex parte eius, in quem peccatur; et si quidem sit peccatum in nos, remedium adhibemus remittendo offensam;. si autem sit in Deum vel in proximum, non est nostri arbitrii remittere, ut Hieronymus dicit super Matth. XVIII, 15.

Tertio modo ex parte sequelae ipsius actus inordinati, ex qua gravantur ei conviventes etiam praeter peccantis intentionem, et sic remedium adhibetur supportando, maxime in his, qui ex infirmitate peccant secundum illud Rom. XV, 1: ‚Debemus nos firmiores infirmitates aliorum sustinere', et non solum secundum quod infirmi sunt sive graves ex inordinatis actibus, sed etiam quaecunque eorum onera sunt supportanda secundum illud Gal. VI, 2: ‚Alter alterius onera portate'.« [1])

12. Quodsi praedicta tria genera operum satisfactoriorum quoad efficaciam satisfaciendi inter se comparantur, oratio ad satisfaciendum plus valet, quam jejunium, eleemosyna autem plus, quam utrumque.

Nam »efficacia satisfactionis — inquit s. Thomas — invenitur in tribus satisfactionis partibus, sicut virtus totius potentialis[2]) in partibus eius, quae quidem complete in una invenitur et in aliis diminute; sicut tota virtus

executionem actus severitatem justitiae continere videtur; sed quantum ad intentionem corrigentis, qui vult hominem a malo culpae liberare, pertinet ad misericordiam et dilectionis affectum secundum illud Prov. XXVII, 6: »Meliora sunt verbera (vulnera) diligentis quam fraudulenta oscula odientis.«

Nihil autem prohibet, actum, qui est proprie unius virtutis elicitive, attribui alteri virtuti sicut ordinanti et imperanti ad suum finem. Ibid. a 1 ad 2m.

[1]) Ibid. corp. art. 2.

[2]) Cf. 4 dist. 15 qu. 2 a 1 quaest. 2 ad 2m, ubi eleemosynam partem satisfactionis non integralem, sed magis subjectivam esse dicit: »ideo sine eleemosyna satisfactionem suam completam rationem habere in qualibet suarum partium per se, sicut animal in qualibet suarum specierum.«

Sed hoc non contrariatur ei, quod hic dicit, quia hic singulas species inter se comparat quoad efficaciam satisfaciendi, non tamen quoad genus suum, quod est satisfactio.

animae invenitur in rationali, sed in sensibili anima invenitur diminute et adhuc magis diminute in vegetabili, quia anima sensibilis includit in se virtutem vegetabilis, et non convertitur.

Eleemosyna enim includit in se virtutem (satisfactoriam) orationis et jejunii duplici ratione: primo, quia eleemosyna eum constituit, cui datur, debitorem ad orandum et jejunandum et alia bona, quae potest, faciendum pro eo, qui dedit (quibus scilicet operibus pro dante satisfacit); secundo, quia eleemosyna propter Deum data est quasi quaedam oblatio Deo facta, unde Philosophus etiam dicit in 1 Ethic. c. 14, quod ‚dona habent aliquid simile Deo sacratis', oblatio autem ipsi Deo facta vim orationis habet. Et similiter in quantum bona exteriora ad corporis conservationem ordinantur, subtractio exteriorum bonorum per eleemosynam quasi virtute continet jejunium, quo maceratur corpus. (Et hoc, quod hic de eleemosyna corporali dicitur, etiam verum est de omnibus pietatis obsequiis, ut quae non praestentur sine aliquo corporali labore sive carnis afflictione.)[1])

Similiter etiam oratio virtute continet jejunium, quia extensio intellectus ad Deum debilitatem corporis parit.

Unde eleemosyna completius habet vim satisfactionis, quam oratio, et oratio, quam jejunium; et ideo dicitur 1 Tim. IV, 8: ‚Corporalis exercitatio ad modicum utilis est'.

Et propter hoc eleemosyna magis indicitur ut universalis medicina peccati, quam alia, sicut Luc. XI, 41: ‚Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis' et Dan. VI, 24: ‚Peccata tua eleemosynis redime' et Tob. IV, 11: ‚Eleemosyna ab omni peccato liberat' et 1 Tim. IV, 8: ‚Pietas ad omnia utilis est'.«[2])

13. Neque obstat, quod Matth. XVII, 20 dicitur: »Hoc genus daemoniorum non ejicitur nisi per jejunium et orationem«.[3])

---

[1]) Cf. supra 10.

[2]) 4 dist. 15 qu. 2 a 2 quaest. 2 sol. 2.

[3]) Cf. ibid. 1 m.

Nam »satisfactio est medicina et praeservans a peccato futuro et expians a praeterito. Et quamvis eleemosyna habeat vim expiandi quodcunque peccatum praeteritum, non tamen habet omnem vim praeservandi a futuro peccato, quia oratio et jejunium praeservant a quibusdam peccatis non solum per modum meriti, quod etiam eleemosyna facit, sed per modum contrariae assuetudinis; et sic ibidem dicit Glossa, quod jejunio sanantur corporis pestes, sed oratione pestes mentis; et secundum hoc intelligitur, quod aliqua peccata tantum jejunio vel oratione sanantur.«[1])

14. Praeterea cum opus satisfactorium poenale et Deo acceptum esse oporteat, jejunium magis quidem poenale est, quam eleemosyna, et oratio opus magis Deo acceptum est, quam eleemosyna, in quantum majorem cum Deo familiaritatem conquirit.[2])

Attamen »quamvis poena in satisfactione requiratur, tamen principalius est in ea bonitas actus, quam poenalitas. Et ideo, quia eleemosyna plus habet de ratione boni, quam jejunium, in quantum immediatius se ad charitatem habet, et in quantum non est singulare bonum facientis, sed commune facienti et patienti (i. e. eleemosynam recipienti), eleemosyna plus erit *satisfactoria*, quam jejunium; similiter et, quam oratio, quae quamvis hominem magis familiarem Deo reddat, quam eleemosyna, sicut contemplativa (scilicet vita) plus, quam activa tamen intercessorum per eleemosynam multiplicatio plus valet ad impetrandum peccatorum remissionem, quam singularis unius hominis oratio.«[3])

15. Inde manifestum est, non esse idem judicium de merito praemii essentialis alicuius operis et de eiusdem merito praemii accidentalis, ad quod etiam poenae temporalis remissio pertinet.

Itaque eleemosyna, etsi ex rationibus supra commemo-

[1]) Ibid. ad 1m. — [2]) Cf. ibid. 2m. — [3]) Ibid. ad 2m.

ratis efficacior ad satisfaciendum est, quam oratio, non tamen per se majus praemium essentiale meretur, quam haec.[1])

Etenim eleemosyna pertinet ad vitam activam, quae per se minoris meriti est, quam vita contemplativa.

»Radix enim merendi — inquit s. Thomas — est charitas. Cum autem charitas consistat in dilectione Dei et proximi, Deum diligere secundum se est magis meritorium, quam diligere proximum, ut ex supra dictis (S. theol. 2, 2 qu. 27 a 8) patet; et ideo illud, quod directius pertinet ad dilectionem Dei, magis est meritorium ex suo genere, quam id, quod directe pertinet ad dilectionem proximi propter Deum.

Vita autem contemplativa directe et immediate pertinet ad dilectionem Dei. Dicit enim Augustinus l. 19 De civitate Dei (c. 19), quod ‚otium sanctum, scilicet contemplativae vitae, quaerit charitas veritatis, scilicet divinae, cui potissime vita contemplativa insistit'.

Vita autem activa directius ordinatur ad dilectionem proximi, quia satagit circa frequens ministerium, ut dicitur Luc. X, 40.

Et ideo ex suo genere contemplativa vita est majoris meriti, quam activa. Et hoc est, quod Gregorius in 3. hom. super Ezech. dicit: ‚Contemplativa est major merito, quam activa, quia haec in usu praesentis operis

[1]) Cf. ibid. quaest. 3 sol. 3: »Eleemosyna habet efficaciam et ex ipso faciente, in quantum est quoddam opus meritorium, et ex recipiente, in quantum obligatur ad orandum (et alia bona opera facienda) pro illo, qui eleemosynam dedit.

Si ergo consideratur eleemosynae efficacia ex parte recipientis, sic major efficacia in majori dato consistit, in quantum per hoc plures et magis debitores efficiuntur; ex parte autem dantis respectu praemii essentialis efficacia eleemosynae magis pensatur ex affectu (charitatis), quam ex dato; sed respectu praemii accidentalis, ut puta remissionis poenae vel alicuius huiusmodi magnificatur eleemosyna ex magnitudine dati, nisi ex parte altera intentio voluntatis magnitudini exterioris dati praeponderet. Potest enim tam intensa esse voluntas (ex charitate miserens), quod etiam omnem poenam absorbeat et reatum, sicut de contritione dicitur.«

laborat', in quo scilicet necesse est proximis subvenire, ‚illa vero sapore intimo venturam jam requiem degustat', scilicet in contemplatione Dei.

Potest tamen contingere (per accidens, scilicet propter dispositionem subjecti), quod aliquis in operibus vitae activae plus mereatur, quam alius in (solis) operibus vitae contemplativae: puta, si propter abundantiam divini amoris, ut eius (i. e. Dei) voluntas impleatur, propter ipsius gloriam interdum sustinet a dulcedine divinae contemplationis ad tempus separari; sicut Apostolus dicebat Rom. IX, 3: ‚Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis', quod exponens Chrysostomus l. 1 De compunctione dicit: ‚Ita totam mentem eius demerserat amor Christi, ut etiam hoc, quod ei prae ceteris omnibus amabilius erat, esse cum Christo, rursus id ipsum, quia ita placeret Christo, contemneret'.«[1])

Itaque tum demum eleemosyna maioris meriti praemii essentialis' est, quam oratio, quando ex abundantia charitatis procedens ad orationem ex additione se habet.[2])

16. Sunt, qui omnia opera, etiam praecepta, sive legis naturae sive legis positivae ad satisfaciendum valere affirment. Quam assertionem iam s. Thomas commemorat. Dicit enim, cum de vi satisfactiva eleemosynae agit: »Quidam dicunt, quod etiam primae (eleemosynae, ad quarum largitionem aliquis tenetur), satisfactoriae sunt ex largitione divinae misericordiae.«[3])

At vero ab ita sentientibus ipse dissentit; excludit enim ab efficacia satisfaciendi ea, quae sunt praecepta lege naturae.

Cuius rei rationem eam affert, quod impletio praeceptorum legis naturae praeambula sit ad satisfactionem: itaque hominem ideo posse satisfacere, quia prae-

---

[1]) S. theol. 2, 2 qu. 182 a 2 c; cf. ad 1m: »Labor exterior operatur ad augmentum praemii accidentalis.«

[2]) Cf. ibid. qu. 188 a 6 de diversa religiosorum ordinum praestantia.

[3]) 4 dist. 15 qu. 2 a 1 quaest. 2 sol. 2.

cepta legis naturae non totam facultatem hominis occupent, ita ut super ea aliquid ad satisfaciendum erogare possit.[1])

17. Cum enim quaerat, num eleemosyna ad satisfaciendum efficax sit, ita solvit: »A peccato desistere, non est de essentia satisfactionis,[2]) sed est ad satisfactionem praeambulum, sicut fundamentum ipsius.

Unde cum aliquis peccet hoc ipso, quod non facit hoc, quod facere tenetur, constat, quod id, quod quis alias facere tenetur, non est de essentia satisfactionis, sed praeambulum ad ipsam.

Unde cum ad eleemosynarum largitionem quandoque aliquis teneatur, quandoque non, constat, quod illarum eleemosynarum largitio, ad quam quis tenetur, non est pars satisfactionis, sed praeambulum ad ipsam.

Illae vero eleemosynae, ad quas alias non tenetur, possunt satisfactoriae esse, cum sint opera bona et poenalia, quod exigebatur ad opus satisfactorium; punitur enim quis non solum afflictione corporis facta, sed ex subtractione rerum.«[3])

»Quidam tamen dicunt, quod etiam primae satisfactoriae sunt ex largitione divinae misericordiae.«[4])

»Praeceptum legis naturae non est nisi de eo, quod est necessarium ad salutem; et ideo, *quod sub tali praecepto cadit, non est satisfactorium, sed ad satisfactionem exigitur;* et sic est de eleemosyna, secundum quod

---

[1]) Cf. cap. IV, 13 in fine.

[2]) Cf. ibid. qu. 1 a 5 quaest. 1 sol. 1: »Satisfactio offensam removet et a poena liberat. Nullus autem ex hoc ipso, quod offendere desistit, consequitur hoc, quod de offensa praecedenti reconciliationem inveniat vel poenam pro illa debitam evadat; sed hoc solum consequitur, quod majorem offensam et poenam non cumulat; et sic *cessare ab offensa nulla pars satisfactionis est, sed est praeambulum ad satisfactionem.*

[3]) Ibid. qu. 2 a 1 quaest. 2 sol. 2.

[4]) Ibid. ad 1 m.

cadit sub praecepto«[1]) (et consequenter etiam de jejunio[2]) et oratione,[3]) secundum quod cadunt sub praecepto legis naturae).

18. Sed subjungit: »Sed praeceptum *Ecclesiae* potest ad idem ordinari, ad quod ordinatur satisfactio; et ideo jejunium, quod sub praecepto Ecclesiae cadit, satisfactorium esse potest.«[4])

Quodsi quaeritur, cur praeceptorum Ecclesiae impletio satisfactoria esse possit, ratio est, quia Ecclesia non praecipit nisi ea, quae, etsi aliquo modo ad necessitatem salutis, tamen non secundum hunc vel illum modum pertinent, atque quia praeceptis suis ipsa fideles ad recompensandas offensas praeteritas et futuras cavendas inducere intendit.

Sic igitur opera ex praecepto Ecclesiae facta aliquo modo supererogatoria sunt et satisfactionis rationem habent, quae consistit in recompensatione offensae et virtutum custodia, ut saepe iam diximus.

19. »Duplex — inquit s. Thomas — est genus supererogationis: quoddam, quod totaliter excedit necessitatem salutis; et hoc non potest cadere sub praecepto, sed sub consilio secundum illud 1 Cor. VII, 7: ‚De virginibus autem praeceptum non habeo, consilium autem do'.

---

[1]) Ibid. qu. 3 a 1 quaest. 5 ad 2m.

[2]) Cf. ibid. quaest. 4 sol. 4: »In jejunio ergo est aliquid, quod ad praeceptum juris naturalis pertinet, scilicet tantam abstinentiam adhibere, ne caro spiritui rebellet. Temperantia enim, ut dicit Philosophus in 3. Ethic. cap. ult., mensuram accipit ex conservatione salutis corporalis; unde multo magis ex conservatione salutis spiritualis.« Cf. 4 dist. 15 qu. 1 a 5 quaest. 1 ad 2m: »Non est satisfactorium pro gula, ut quis non immoderate comedat, sed ut etiam a moderatis abstineat.«

[3]) Cf. ibid. qu. 4 a 1 quaest. 3 sol. 3: »Indeterminate ad orationem quilibet tenetur ex hoc ipso, quod tenetur ad bona spiritualia sibi procuranda, quae non nisi divinitus dantur; unde alio modo procurari non possunt, nisi ut ab ipso (scilicet Deo) petantur; et etiam ex hoc ipso, quod charitatis praecepto tenetur proximum sicut se ipsum diligere, tenetur ei in necessitate beneficus esse non solum per corporales eleemosynas, sed etiam per spirituales, quarum una est oratio.«

[4]) 4 dist. 15 qu. 3 a 1 quaest. 5 ad 2m.

Aliud genus supererogationis est, quod aliquo modo ad necessitatem salutis pertinet, quamvis non secundum hunc vel illum modum; et ideo determinatio modi in talibus potest cadere sub praecepto Ecclesiae vel cuiuscunque legislatoris.« [1])

20. Satisfactionis autem rationem habere opera ab Ecclesia praecepta s. Thomas in universum insinuat his verbis: »Duplex est praeceptum, scilicet juris naturalis et juris positivi.

Praecepto juris naturalis prohibentur ea, quae sunt secundum se mala; sed praeceptis juris positivi prohibentur ea, quae possunt esse occasiones malorum, vel praecipiuntur aliqua ordinantia ad virtutem, quam legis positor inducere intendit; et propter hoc jus positivum, ut dicit Tullius l. 2 De inventione, est a naturali derivatum; unde ad legem positivam pertinet, ut dicit Philosophus 10 Ethic. c. 10, ordinare nutritiones juvenum et adinventiones virorum i. e. opera et studia eorum, ut arceantur a malis et perducantur ad bona.« [2])

Expresse autem id tradit de praecepto ecclesiastico jejunii dicens: »Jejunium dupliciter dicitur, scilicet jejunium naturae et jejunium Ecclesiae.

A primo jejunio dicitur aliquis quolibet die jejunus, antequam cibum sumat; a secundo autem dicitur jejunans, quasi ordinatam ab Ecclesia propter peccatorum satisfactionem abstinentiam servans.

In satisfactionem autem peccatorum non solum oportet, quod ab illis homo abstineat, quae lex virtutis prohibet, sed etiam ab illis, quibus salva virtute uti possemus, quia, qui illicita commisit, oportet etiam a licitis abstinere, ut dicit Augustinus[3]) libr. De vera et falsa poenitentia c. 15.

Unde jejunium ab Ecclesia institutum supponit abstinentiam illam, quae ad virtutem exigitur, et addit

---

[1]) Ibid. quaest. 4 ad 2m.

[2]) Ibid. sol. 4.

[3]) Non est Augustini, sed ignoti auctoris.

abstinentiam quandam ab illis, quae medium virtutis non corrumpunt.«[1])

Et similis est ratio ceterorum Ecclesiae praeceptorum.

21. Unam ex praeceptis legis naturae s. Thomas ponit exceptionem, videlicet actus poenitentiae.

Praeceptum enim poenitentiae pro peccatis agendae naturale est et ad praeceptum justitiae revocatur, ut supra diximus.[2])

»Sunt, ut volunt Magistri — inquit s. Thomas — praecepta quaedam primae, quaedam secundae, quaedam tertiae, quaedam quartae necessitatis.

Primae necessitatis sunt, sine quibus Dei similitudo non salvatur, quae a principio naturaliter obligant et in generali et in speciali: tale est diligere Deum.

Secundae necessitatis sunt, quae a principio et naturaliter obligant in generali et non in speciali; ut est satisfacere pro peccatis (quod scilicet non obligat nisi peccantem).

Tertiae necessitatis sunt, quae ex actu humano obligant, sicut votum, vel quae obligant quosdam, sed non omnes, aut etiam omnes in casu, sicut consilia.

Quartae necessitatis sunt, quae praelati ecclesiarum instituunt, scilicet quae instituit Papa aut archiepiscopus in

---

[1]) 4 dist. 15 qu. 3 a 1 quaest. 1 sol. 1.

[2]) Cf. cap. IV, 2: »Modus tamen poenitentiae agendae determinabilis est et lege positiva determinatur. Sic in N. T. lege divina sancitum est, ut poenitentia agatur per confessionem sacramentalem in ordine ad claves Ecclesiae. Cf. 4 dist. 17 qu. 3 a 1 quaest. 2 sol 2; cf. ad 2m: »Praecepta legis naturae manent eodem modo in lege Moysi et in lege nova. Sed confessio, quamvis aliqualiter esset in lege Moysi, non tamen eodem modo (erat), sicut in lege nova, nec sicut in lege naturae. In lege naturae enim sufficiebat interior recognitio peccati apud Deum; sed in lege Moysi oportebat aliquo signo exteriori peccatum protestari, sicut per oblationem hostiae pro peccato, ex quo etiam homini innotescere poterat eum peccasse; non autem oportebat, quod speciale peccatum a se commissum manifestaret aut peccati circumstantias, sicut in nova lege oportet.«

provincia sua aut episcopus in dioecesi sua aut abbas in abbatia sua.« [1])

Jam vero actus poenitentiae, sive sunt virtutis poenitentiae[2]) sive sunt materia sacramenti poenitentiae,[3]) secundum s. Thomam omnes operantur etiam ad deletionem poenae; quod de satisfactione per se manifestum est. Sed etiam de contritione et confessione idem affirmat.

22. Contritio[4]) quidem secundum s. Thomam satisfactoria est tum ex parte doloris spiritualis, tum ex parte doloris sensitivi, quem ille potest adjunctum habere.

Etenim »in contritione est duplex dolor: unus in ipsa voluntate, qui est essentialiter ipsa contritio, quae nihil aliud est, quam displicentia dolorosa praeteriti peccati; alius dolor est in parte sensitiva, qui causatur ex primo dolore vel ex necessitate naturae, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorum (scilicet virium), vel ex electione,[5]) secundum quod homo poenitens in se ipso hunc dolorem excitat, ut de peccatis doleat.« [6])

Jam vero contritionem, prout ipsa dolor spiritualis est et prout passionem doloris ex electione adjunctam habet,

---

[1]) Opusc. 61 c. 1 Edit. Rom. (Edit. Vivès opusc. 54).

[2]) Habitus poenitentiae non infunditur nisi soli homini, qui, sicut est capax peccati, ita etiam poenitentiae. Ideo eum etiam parvuli cum gratia in baptismo accipiunt; item eam habuit etiam B. Maria V. Solus Christus, qui etiam ut homo impeccabilis erat, virtutem poenitentiae non habuit; cf. 4 dist. 14 qu. 1 a 3 quaest. 2 et 3 et 4 (S. theol. s. 3 p. qu. 16). De virtute poenitentiae cf. S. theol. 3 p. qu. 85.

[3]) Cf. S. theol. 3 p. qu. 90 a 1—3; ibid. qu. 84 a 2.

[4]) Contritio apud s. Thomam semper intelligitur perfecta.

[5]) Cf. S. theol. 1, 2 qu. 24 a 1 et 3.

[6]) 4 dist. 17 qu. 2 a 3 quaest. 1 sol. 1 (S. theol. s. 3 p. qu. 3 a 1 c); cf. ibid. a 1 quaest. 2 ad 1 m, ubi s. Thomas subjungit: »Sicut enim poenitentiae virtus exteriorem poenam suo corpori infligit ad recompensandum offensam, quae in Deum commissa est officio membrorum, ita etiam ipsi concupiscibili poenam infert doloris praedicti (scilicet sensibilis), quia ipsa etiam ad peccatum cooperabatur.«

INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES ST. MICHAEL'S

ad satisfactionem valere s. Thomas tradit, cum quaerit, num contritio reatum poenae totaliter tollere possit.

»Intensio — inquit — contritionis potest attendi dupliciter: uno modo ex parte charitatis, quae displicentiam (scilicet praeteriti peccati in voluntate sive dolorem spiritualem) causat; et sic contingit tantum intendi charitatem in actu, quod contritio inde sequens merebitur non solum culpae amotionem, sed etiam absolutionem ab omni poena;[1]) alio modo ex parte doloris sensibilis, quem voluntas in contritione excitat; et quia ille etiam poena quaedam est, tantum potest intendi, quod sufficiat ad deletionem poenae et culpae.«[2])

Sed nihilo minus poenitens etiam ad confessionem et satisfactionem tenetur; »neque enim quisquam potest esse certus, quod contritio sua sit sufficiens ad deletionem poenae et culpae; et ideo tenetur confiteri et satisfacere, maxime cum contritio vera non fuerit, nisi propositum confitendi habuisset annexum; quod debet ad effectum deduci etiam propter praeceptum, quod est de confessione datum.«[3])

23. Sicut contritio, ita etiam confessio satisfactoria est cum propter erubescentiam, quam secum fert, tum maxime quia ad absolutionem sacramentalem ordinatur, quae poenae temporalis est diminutiva.

»Idem judicium — inquit s. Thomas — est de effectu, quem potestas clavium actualiter exercita complet in eo, in

[1]) Contritio tam intensa meretur absolutionem ab omni poena per modum satisfactionis, quia poenalis est: »Contritio — inquit s. Thomas 3 dist. 20 a 3 ad 5m (cf. 5m) — non tantum habet vim ex charitate, sed etiam ex dolore; et ideo ratione charitatis delet culpam, ratione autem doloris computatur in satisfactionem poenae.« Omnis autem satisfactio proprie dicta fit per modum meriti, unde sequitur hanc fieri non posse post mortem in purgatorio. Cf. 4 dist. 17 qu. 2 a 4 quaest. 3 ad 3m: »Poena illa, quam animae in purgatorio sustinent, non potest proprie dici satisfactio, quia satisfactio opus meritorium requirit; sed largo modo dicitur satisfactio poenae debitae solutio.« Cf. ibid. sol. 3.

[2]) 4 dist. 17 qu. 2 a 5 quaest. 2 sol. 2 (S. theol. s. 3 p. qu. 5 a 2 c, cuius text. secutus sum).

[3]) Ibid. ad 1m.

quo contritio tempore praecessit, et de effectu baptismi, qui jam habenti gratiam datur.

Aliquis enim per fidem et contritionem praecedentem baptismum gratiam remissionis peccatorum quantum ad culpam consecutus est; sed quando actualiter postea baptismum suscipit, gratia augetur et a reatu poenae totaliter absolvitur, eo quod fit particeps passionis Christi.

Et similiter ille, qui per contritionem consecutus est remissionem peccatorum quantum ad culpam et per consequens quantum ad reatum poenae aeternae, quae simul cum culpa dimittitur, ex vi clavium ex passione Christi efficaciam habentium augetur gratia et poena remittitur temporalis,[1]) cuius reatus adhuc remanserat post culpae remissionem, non tamen totus (scilicet reatus remittitur), sicut in baptismo, sed pars eius, eo quod in baptismo homo

---

[1]) Haec doctrina catholica est et longe diversa ab errore Michaëlis Baji damnato a Pio V per bullam »Ex omnibus afflictionibus« dat. 1 Oct. 1567 n. 58: »Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans vivificat eum et resuscitat; ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.« Cf. ibid. n. 56 et 57. »Aliqui — inquit s. Thomas — dicunt, quod solus Deus remittit, sed sacerdos absolvit tantum a reatu poenae et denuntiat eum absolutum a macula culpae. Sed hoc non est verum; nam sacramentum poenitentiae, cum sit sacramentum novae legis, confert gratiam, sicut et in baptismo confertur. Sed in baptismo sacerdos baptizat instrumentaliter et tamen confert gratiam. Ergo similiter in sacramento poenitentiae sacramentaliter et ministerialiter absolvit a poena et culpa, in quantum dat sacramentum, in quo peccata dimittuntur. Quod autem dicitur, quod solus Deus peccata dimittit, verum est auctoritate (in quantum scilicet Deus gratiam dat et instrumentales gratiae causas, scilicet sacramenta, instituit, per quas dat). Sic etiam solus Deus baptizat, sed sacerdos ministerio.« Com super Joa. c. XX, 23. Cf. S. theol. 3 p. qu. 84 a 3 ad 3m—5m. Cf. Concil. Trid. Sess. XIV, cap. 6 et can. 9.

A culpa autem sacerdos absolvit attritum poenitentem.

»Si enim — inquit s. Thomas — ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gratiam suscipiendam (i. e. perfecte contritus), in ipsa confessione et absolutione sacramentali gratiam consequeretur. Si enim clavis nullo modo ad culpae remissionem ordi-

regeneratur configuratus passioni Christi, totaliter efficaciam passionis Christi, quae sufficit ad omnem poenam delendam, in se suscipiens, ut nihil de prioris peccati actualis poena remaneat, quia non debet alicui imputari ad poenam, nisi quod ipsemet fecit. In baptismo autem homo novam vitam accipiens fit per gratiam baptismalem novus homo; et ideo nullus reatus poenae remanet in eo pro praecedenti peccato.

Sed in poenitentia homo non mutatur in aliam vitam, quia non est regeneratio, sed sanatio quaedam; ideo ex vi clavium, quae operatur in sacramento poenitentiae, non tota poena remittitur, sed aliquid de poena temporali, cuius reatus post absolutionem a poena aeterna remanere potuit, nec solum a poena illa, quam habet poenitens in confitendo (i. e. a poena praesentis vitae), ut quidam dicunt, quia sic confessio et sacerdotalis absolutio non essent, nisi in onus, quod non competit sacramentis novae legis, sed etiam de illa poena, quae in purgatorio debetur, aliquid remittitur, ut minus in purgatorio puniatur absolutus ante satisfactionem decedens, quam si ante absolutionem decederet.« [1])

»Non tamen remittit sacerdos poenitenti poenam totam temporalem, sed partem et ideo poenitens adhuc manet obligatus ad poenam satisfactoriam.« [2])

Nam »pro quolibet peccato (primum in confessione accusato) oportet aliquam poenam satisfactoriam remanere (quantum scilicet ad actum clavium spectat),[3]) per quam medicina contra ipsum praestetur; et ideo

---

naretur, sed ad dimissionem poenae tantum, ut quidam dicunt, non exigeretur (in contrito) votum suscipiendi effectum clavium ad culpae remissionem.« 4 dist. 18 qu. 1 a 3 quaest. 1 sol. 1. Cf. Com. super Matth. XVI, 19.

[1]) 4 dist. 18 qu. 1 a 3 quaest. 2 sol. 2 (S. theol. s. 3 p. qu. 18 a 2 c).

[2]) Ibid. ad 1 m.

[3]) Ex virtute clavium nunquam tota poena satisfactoria aboletur, quia homo per poenitentiam non totaliter fit novus homo, sicut per baptismum; attamen aliunde tota poena satisfactoria expiari potest, ut supra de intensa contritione dictum est. Cf. Cajet. in h. l.

quamvis virtute absolutionis dimittatur aliqua quantitas poenae debita pro aliquo magno peccato, non oportet, quod tanta quantitas poenae dimittatur respectu cuiuslibet peccati, quia secundum hoc aliquod peccatum remaneret omnino sine poena; sed virtute clavium de poenis singulorum peccatorum *proportionaliter* dimittitur.«[1])

Per confessionem autem iteratam alicuius peccati fieri potest, ut vi absolutionis iteratae tota poena tollatur.

»Dicunt quidem quidam, — inquit s. Thomas — quod in prima absolutione tantum dimittitur vi clavium, quantum dimitti potest; sed tamen valet iterata confessio tum propter instructionem, tum propter majorem certitudinem, tum propter intercessionem confessoris, tum propter verecundiae meritum.

Sed hoc non videtur verum, quia, etsi haec esset ratio confessionem iterandi, non tamen esset ratio iterandi absolutionem praecipue in eo, qui non habet aliquam causam dubitationis de praecedenti absolutione; ita enim poterit dubitare post secundam absolutionem, sicut post primam.

Et praeterea in secunda confessione non requireretur, quod haberet claves ille, cui fit confessio, si nihil ibi vis clavium operatur.

Et ideo dicunt, quod etiam in secunda absolutione vi clavium de poena remittitur, quia in secunda absolutione gratiae confertur augmentum; et quanto major gratia recipitur, minus de impuritate peccati praecedentis manet et ideo minor poena purgans debetur.

Unde etiam in prima absolutione alicui plus et minus de poena dimittitur vi clavium, secundum quod plus se ad

[1]) Ibid. ad 3m. Arg. 3m est hoc: »Ille, qui parvum peccatum commisit, non est minus susceptivus effectus clavium, quam ille, qui commisit majus peccatum. Sed si aliquid de poena per officium sacerdotis de majori peccato dimittitur, possibile est esse aliquod peccatum parvum, cui non debeatur plus de poena, quam illud, quod de majori peccato dimissum est. Ergo poterit (sacerdos) totam poenam illius parvi peccati dimittere; quod falsum est.«

gratiam disponit; et potest esse tanta dispositio, quod etiam ex vi contritionis tota poena tollatur, ut praedictum est.

Unde etiam non est inconveniens, si per frequentem confessionem etiam tota poena tollatur, ut peccatum omnino remaneat impunitum, pro quo poena Christi satisfecit.« [1])

»Passio enim Christi sufficienter satisfecit pro peccatis totius mundi; et ideo sine praejudicio divinae justitiae poenitenti aliquid de poena sibi debita remitti potest, secundum quod effectus passionis ad ipsum *per sacramenta* Ecclesiae pertingit.« [2])

24. Totam de satisfactoria confessionis vi doctrinam s. Thomas brevi sic complectitur:

»Confessio simul cum absolutione habet vim liberandi a poena dupliciter: uno modo ex ipsa vi absolutionis; et sic quidem liberat in voto existens (poenitentem contritum) a poena aeterna, sicut et a culpa; quae quidem poena est poena condemnans et ex toto exterminans, a qua homo liberatus manet adhuc obligatus ad poenam temporalem, secundum quod poena est

---

[1]) Ibid. ad 4m. Arg. 4m est hoc: »Tota poena temporalis peccato debita est unius rationis. Si ergo per primam absolutionem dimittatur aliquid de poena, et per secundam ab eodem peccato absolutionem poterit aliquid remitti; et sic tantum poterit multiplicari absolutio, quod vi clavium tota poena tollatur, cum secunda absolutio non sit minoris efficaciae, quam prima; et sic peccatum remanebit omnino impunitum; quod est inconveniens.«

[2]) Ibid. ad 2m: »Magna — inquit Cajetanus ibid. in 4m — differentia est inter has propositiones: scilicet ‚Christi poena satisfecit pro me talisque satisfactio reddet me impunitum', et ‚Christi poena satisfecit pro me mihique est per sacramentum applicata et talis satisfactio sic sumpta reddet me impunitum, i. e. faciet, quod non amplius puniat'.

Prima namque falsa est haereticisque familiaris, qui Christi morte ignaviam suam opera renuentem contegunt, secunda autem vera est atque catholica, ut de utraque ex Concil. Trid. Sess. VI, cap. 3 colligimus sic dicente: ‚Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur'.« (Cf. Sess. V., can. 3.)

medicina purgans et promovens; et haec poena restat in purgatorio patienda etiam his, qui a poena inferni liberati sunt.

Quae quidem poena est improportionata viribus poenitentis in hoc mundo viventis; sed per vim clavium (sive voto sive actu perceptam[1]) in tantum diminuitur, quod proportionata viribus poenitentis remanet, ita quod satisfaciendo se in hac vita purgare potest.[2])

[1]) Cajetanus quidem eam diminutionem poenae temporalis in purgatorio patiendae, ut viribus hominis viatoris proportionata fiat, absolutioni actu impertitae attribuit.

Sed haec interpretatio mihi videtur negare ea, quae s. Thomas de efficacia contritionis dicit.

Asserit enim contritionem valde intensam ratione doloris posse delere omnem poenam temporalem (cf. supra 22).

Sed contritionem, quae, si vera est, votum confitendi habet annexum (cf. 4 dist. 17 qu. 2 a 1 quaest. 1 sol. 1 et ad 7m et 8m), ad delendam omnem poenam iam ante actualem absolutionis perceptionem valere, s. Thomas satis aperte indicat, dicendo loc. cit. ad 8m: »Quamvis tota poena possit per contritionem dimitti, tamen adhuc necessaria est confessio et satisfactio, tum quia homo non potest esse certus de sua contritione, quod fuerit ad totum tollendum sufficiens; tum quia confessio et satisfactio sunt in praecepto; unde transgressor constitueretur, si non confiteretur et satisfaceret.« (Cf. ibid. a 5 quaest. 2 ad 1m.)

Ergo iam ante actualem absolutionis perceptionem dolor contritionis secundum mentem s. Thomae proportionatus est ad exhauriendam poenam purgatorii; unde mihi videtur doctrinae Doctoris angelici non fidelis interpres esse, qui soli absolutioni actu perceptae efficaciam attribuit poenam purgatorii faciendi proportionatam viribus hominis viatoris; quamvis haud negem, opera satisfactoria ex vi absolutionis actu impertitae majorem habere satisfaciendi efficaciam, quam sponte suscepta.

Quod etiam s. Thomas 4 dist. 17 qu. 3 a 3 quaest. 1 ad 3m (S. theol. s. 3 p. qu. 8 a 1 ad 3m) his docet verbis: »In satisfactione non solum attendenda est quantitas poenae, sed etiam virtus ejus, secundum quod est pars sacramenti, et sic requirit sacramentorum dispensatorem, quamvis etiam ab alio, quam a sacerdote, poena taxari possit.« (Cf. ibid. a 1 quaest. 1 ad 4m.)

[2]) Ideo s. Thomas satisfactionem huius vitae per modum meriti fieri semper affirmat.

Alio modo diminuit poenam (temporalem) ex ipsa natura actus confitentis, qui habet poenam erubescentiae annexam; et ideo quanto aliquis pluries de eisdem peccatis confitetur, tanto magis poena diminuitur.«[1])

25. Quod si quis quaesierit, cur poenitentia, quamvis de lege naturae sit, ad satisfactionem valeat, ratio in eius natura sita esse videtur, pro qua scilicet ad delendum peccatum tendit.[2]) Deus enim ordinationes suas secundum rerum naturas temperare solet.

26. Praeter sacramentum poenitentiae[3]) etiam ss. eucharistia ad satisfactionem valere potest, quatenus est sacrificium et sacramentum, sed modo diverso, scilicet illud ex opere operato, istud ex opere operantis.

»Hoc sacramentum — inquit s. Thomas — simul est sacrificium et sacramentum; sed rationem sacrificii habet, in quantum offertur, rationem autem sacramenti, in quantum sumitur. Et ideo effectum sacramenti habet in eo, qui sumit, effectum autem sacrificii in eo, qui offert, vel in his, pro quibus offertur.

Si igitur consideretur ut sacramentum, habet effectum dupliciter: uno modo directe ex vi sacramenti, alio modo quasi ex quadam concomitantia.

---

[1]) 4 dist. 17 qu. 3 a 5 quaest. 2 sol. 2 (S. theol. s 3 p. qu. 10 a 2 c).

[2]) Cf. S. theol. 3 p. qu. 85 a 2.

[3]) Sacramentum extremae unctionis poenas temporales peccatorum non diminuit nisi ex parte subjecti, quod confortat, quo facilius eas sustineat.

Objicit sibi s. Thomas, cum de effectu extremae unctionis agit (4 dist. 23 qu. 1 a 2 quaest. 1; S. theol. s 3 p. qu. 30 a 1), arg. 2m: »In peccato non sunt, nisi tria: macula, reatus poenae et reliquiae peccati. Sed per extremam unctionem non remittitur peccatum quoad maculam sine contritione, quae etiam sine unctione remittit; nec iterum quoad poenam, quia adhuc, si convalescat, tenetur perficere satisfactionem injunctam; nec quoad reliquias culpae, quia adhuc remanent dispositiones ex actibus praecedentibus relictae, ut patet post convalescentiam. Ergo nullo modo per extremam unctionem fit peccatorum remissio.«

»Ad 2m — inquit s. Thomas — dicendum, quod extrema unctio aliquo modo quantum ad illa tria remittit peccatum.

Ex vi quidem sacramenti directe habet illum effectum, ad quem est institutum.

Non est autem institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum et membra eius, sicut et nutrimentum unitur nutrito.

Sed quia haec unitas fit per charitatem, ex cuius fervore aliquis consequitur remissionem non solum culpae, sed etiam poenae, inde est, quod ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem poenae, non quidem totius, sed secundum modum suae devotionis et fervoris.

In quantum vero est sacrificium, habet vim satisfactivam, sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis, unde et Dominus dicit Luc. XXI, 3 de vidua, quae obtulit duo aera, quod plus omnibus misit.

Quamvis ergo haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suae devotionis et non pro tota poena.« [1])

SS. Eucharistia igitur, ut est sacrificium, satisfactoria est ex opere operato,[2]) cuius efficacia diversa

---

Quamvis enim culpa quoad maculam sine contritione (scilicet perfecta) non dimittatur, tamen hoc sacramentum per gratiam, quam infundit, *facit,* quod ille motus liberi arbitrii in peccatum sit *contritio,* sicut etiam in eucharistia et confirmatione potest accidere.

Similiter etiam reatum poenae temporalis diminuit, sed ex consequenti, in quantum debilitatem tollit. *quia eandem poenam levius portat fortis, quam debilis;* unde non oportet, quod propter hoc minuatur satisfactionis mensura.

Reliquiae autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictae, quae sunt quidam habitus inchoati (cf. S. theol. 3 p. qu. 86 a 5, o, ibid. qu. 89 a 1 ad 3m), sed quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, qua sublata etiam eisdem habitibus et dispositionibus manentibus non ita potest inclinari mens ad peccata.« Cf. Conc. Trid. Sessio XIV, cap. 2 de extrema unctione.

[1]) S. theol. 3 p. qu. 79 a 5 c; cf. ad 3m.

[2]) Cf. ibid. a 7, o et 4 dist. 45 qu. 2 a 3 quaest. 1 sol. 1 et ad 3m;

est secundum majorem vel minorem dispositionem offerentium vel eorum, pro quibus offertur, sicut in sacramentis est, in quorum receptione major dispositio majorem consequitur gratiam.[1])

Ut autem est sacramentum, similiter satisfactoria est atque oratio, de cuius vi satisfactiva supra egimus,[2]) quamvis ex contritione, quam incensa per sacramentum amoris charitas facile excitat, multum efficaciae satisfactoriae accrescere possit.

27. Sacramentalia reatum poenae temporalis tollunt per modum eorum operum, quae ad genus orationis reducuntur.

»Reatus poenae — inquit s. Thomas — remittitur per praedicta (sacramentalia) secundum modum fervoris in Deum, qui per praedicta excitatur, quandoque magis, quandoque minus.«[3])

---

cf. etiam Conc. Trid. Sess. XXII, cap. 2 et can. 3, ubi expresse dicitur, ss. missae sacrificium pro poenis offerri tam pro vivis, quam pro defunctis; unde efficacia ex opere operato bene infertur.

1) Cf. Conc. Trid. Sess. VI, cap. 7 de justificatione.

2) Cf. supra 9.

3) S. theol. 3 p. qu. 87 a 3 ad 3m.

In corp. art. de remissione culpae venialis, quae per sacramentalia fit, haec dicit:

»Ad remissionem venialis peccati non requiritur (per se) novae gratiae infusio« [quia scilicet peccatum veniale non habitui gratiae, sed actui contrariatur; ideo ad id remittendum sufficit, per se loquendo, »actus, quem gratia de novo elicit,« nec requiritur »aliquid habituale de novo animae infusum« (ibid. a 3 ad 1m; cf. corp. art.); unde in purgatorio fit remissio peccatorum venialium ex solo actu gratiae habitae sine eiusdem augmento (cf. cap. VI, 20). Sed quia »peccatum veniale nunquam remittitur sine aliquali actu poenitentiae virtutis explicito vel implicito« (ibid. ad 2m) ex imperio charitatis (cf. ibid. a 1), ideo in vivis, qui sunt in statu merendi simpliciter, remissionem peccati venialis semper comitatur augmentum gratiae gratum facientis].

»Ad remissionem igitur venialis peccati non requiritur novae gratiae infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale vel explicite vel saltem implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum (ita scilicet, »ut, quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc

Nonnunquam indulgentiam habent adnexam; unde etiam per modum indulgentiae poenas temporales expiant.

28. Proposita s. Thomae de operibus satisfactoriis doctrina nobis quidem omnino vera esse videtur.

Nam Deus, ut iam supra diximus, ordinationes suas secundum rerum naturam temperare solet. Est autem naturae satisfactionis prorsus conveniens, supra debitum legis aliquid exhibere, quia legem implere non est nisi praeambulum ad satisfactionem.

Sic facile explicantur dicta s. Scripturae et ss. Patrum, quibus dignos poenitentiae fructus exigunt.

»In quibus verbis — inquit s. Gregorius M. — notandum est, quod amicus sponsi non solum fructus poenitentiae, sed dignos poenitentiae fructus admonet esse faciendos. Aliud

---

motu retardaret, displiceret ei et doleret se commisisse, ibid. a 1 c). Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum: uno modo, in quantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata (quatenus scilicet gratiae infusio in adultis, qui soli peccata venialia habere possunt, non fit sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum, si videlicet sunt simul in peccato mortali; sin in statu gratiae, gratiae augmentum per sacramenta collatum fieri non solet sine tali actuali motu, quamvis in habentibus gratiam, qui sui ipsius conscientiam amiserunt, per sacramenta sine ullo actuali motu gratia augeatur, sine remissione tamen peccatorum venialium, quae, nisi quis ea aliquo modo actu detestatur, non remittuntur). Et hoc modo per eucharistiam et extremam unctionem et universaliter per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris et oratio Dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum; nam in oratione Dominica petimus: ‚Dimitte nobis debita nostra'. Tertio modo, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum et ad res divinas, et hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in ecclesia dedicata et, si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.«

Cf. Mal. qu. 7 a 12 c, ubi eandem rem sic tradit: »Per fervorem charitatis peccata venialia remittuntur; et ideo quaecunque nata sunt

namque est fructum facere poenitentiae, aliud dignum poenitentiae fructum facere.

Ut enim secundum dignos poenitentiae fructus loquamur, sciendum est, quia, quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur, sicque pietatis opera faciat, ut tamen, si voluerit, ea, quae mundi sunt, non relinquat.

At si quis in fornicationis culpam vel fortasse, quod gravius est, in adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere, quanto se meminit et illicita perpetrasse.«[1])

S. Thomas autem: »Notandum — inquit, — quod alius est fructus justitiae et alius poenitentiae; plus enim requiritur a poenitente, quam ab eo, qui non peccat.«[2])

---

excitare fervorem charitatis, possunt causare remissionem peccatorum venialium. Actus autem charitatis ad voluntatem pertinet; quae quidem tripliciter ad aliquid inclinatur: aliquando quidem ex sola ratione aliquid demonstrante; aliquando autem ex ratione simul et aliquo interiori instinctu, qui est a causa superiori, scilicet Deo; aliquando autem cum hoc etiam ex inclinatione habitus inhaerentis.

Sunt quidem quaedam, quae causant remissionem peccat venialis, in quantum inclinant voluntatem ad ferventem charitas actum secundum tria praedicta et sic per sacramenta novae legis venialia peccata remittuntur, quia et ratio ea considerat ut quasdam salutares medicinas et divina virtus in eis secretius operatur salutem et etiam per ea confertur habitualis gratiae donum.

Quaedam vero sunt, quae causant remissionem venialis peccati secundum duo praedictorum; non enim causant gratiam, sed excitant rationem ad aliquid considerandum, quod excitet charitatis fervorem; et etiam pie creditur, quod virtus divina interius operetur excitando dilectionis fervorem; et hoc modo aqua benedicta, benedictio pontificalis et hujusmodi sacramentalia causant remissionem peccati venialis.

Quaedam vero sunt, quae causant remissionem venialis peccati solummodo excitando charitatis fervorem per modum considerationis, sicut oratio Dominica, tunsio pectoris et alia hujusmodi.«

[1]) S. Greg. M. hom. 20 in Ev.

[2]) S. Thom. In Matth. cap. 3 expos.

Videtur etiam Concilium Tridentinum a parte s. Thomae stare; neque enim loquitur nisi »de poenis *sponte* a nobis pro vindicando peccato susceptis aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis et de temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, quibus apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.« [1])

Videtur denique doctrina Doctoris angelici plurimum valere ad accendendum pietatis studium, ut scilicet poenitens supererogatoriis operibus, dum satisfacere studet, tempus perditum redimat, iisdem operibus simul merendo gratiae ac gloriae majus incrementum; quod quin divinae sapientiae ac pietati maxime consentaneum sit, nullum dubium esse potest.

29. Nota: Neque Christus satisfecit nisi operibus poenalibus, etsi quolibet actu suo meruit.

»Licet — inquit s. Thomas — quilibet actus Christi esset meritorius, tamen ad satisfaciendum pro reatu naturae humanae, quae erat morti ex divina sententia obligata, ut patet Gen. II, 17 et III, 19, oportuit, quod loco omnium mortem sustineret.« [2])

»Ad hoc Filius Dei carne assumpta venit in mundum, ut pro peccato humani generis satisfaceret.

Unus autem pro peccato alterius satisfacit, dum poenam pro peccato alterius debitam in se suscipit. Huiusmodi autem defectus corporales, scilicet mors, fames, sitis et huiusmodi sunt poena peccati, quod est in mundum per Adam introductum secundum illud Rom. V, 12: ‚Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors'.

Unde conveniens fuit quantum ad finem incarnationis, quod huiusmodi poenalitates in carne nostra susciperet vice nostra secundum illud Is. LIII, 4: ‚Vere languores nostros ipse tulit'.« [3])

---

[1]) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 9.

[2]) Verit. qu. 29 a 7 ad 6m.

[3]) S. theol. 3 p. qu. 14 a 1 c.

»Satisfactio pro peccatis alterius habet quidem quasi materiam poenas, quas aliquis pro peccato alterius sustinet, sed pro principio habet habitum animae, ex quo inclinatur ad volendum satisfacere pro alio, et ex quo satisfactio efficaciam habet; non enim esset efficax satisfactio, nisi ex charitate procederet.

Et ideo oportuit animam Christi perfectam esse quantum ad habitum scientiarum et virtutum, ut haberet facultatem satisfaciendi, et quod corpus ejus esset subjectum infirmitatibus, ut ei satisfactionis materia non deesset.[1])

Caput VIII: Quibus suffragiis animae purgatorii juvari possint.

1. In »Decreto« Gratiani, c. 22, causa XIII, qu. 2, quatuor suffragia defunctorum enumerantur. Legitur enim ibi: »Animae defunctorum quatuor solvuntur modis: aut oblationibus sacerdotum (i. e. ss. missae sacrificiis) aut orationibus sanctorum (i. e. viventium in statu gratiae) aut carorum eleemosynis aut cognatorum jejuniis.«[2])

Sunt igitur eadem opera,[3]) quibus vivi non tantum pro se ipsis, sed etiam pro defunctis in purgatorio existentibus satisfacere possunt.

2. Nihilo minus tamen in documentis ecclesiae publicis praecipue ss. missae sacrificium, orationes et pietatis opera, quae sunt eleemosynae corporales et spirituales, omisso jejunio tamquam suffragia defunctorum commemorantur.

---

[1]) Ibid. ad 1m.

[2]) 4 dist. 45 qu. 2 a 3 quaest. 1, 2m.

S. Thomas secutus Ivonem Carnotensem illud a s. Gregorio M. dictum esse putat ideoque ait: »Gregorius tribus praedictis (scilicet orationibus Ecclesiae et altaris sacrificio et eleemosynis, cf. ibid. 1m) connumerat jejunium, ut habetur Decret. caus. XIII c. 22 quaest. 11«. Et ad 2m iterum Gregorium ponit.

Burchardus autem eundem locum ex dictis Originis citat. Sed est neutrius eorum, sed auctoris ignoti.

[3]) Cf. Julii II bullam »Liquet omnibus« supra cap. VI, 12 in nota.

Concilium Tridentinum docet, »purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari.«[1])

Praeterea mandat, ut »curent episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynae aliaque pietatis officia (quae sunt cetera misericordiae opera), quae a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta pie et devote fiant, et quae pro illis ex testatorum fundationibus vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus et Ecclesiae ministris et aliis, qui hoc praestare tenentur, diligenter et accurate persolvantur«.[2])

---

[1]) Conc. Trid. Sess. 25 decret. de purgatorio; cf. Sess. 22 de sacrificio missae cap. 2 et can. 3.

[2]) Ibid. De valore testationum, quae a vivis pro requie animarum suarum fiunt, s. Thomas haec dicit: »Suffragia ex duobus valent, scilicet ex opere operante (i. e. operantis) et ex opere operato, et dico opus operatum non solum Ecclesiae sacramentum, sed effectum accidentem ex operatione, sicut ex collatione eleemosynarum consequitur pauperum relevatio et eorum (i. e. pauperum relevatorum) oratio ad Deum (quam ex gratitudine debent).

Similiter opus operans potest accipi vel ex parte principalis agentis vel ex parte exsequentis.

Dico ergo, quod, quam cito moriens disponit aliqua suffragia sibi fieri, praemium suffragiorum plene consequitur, ante etiam quam fiant, quantum ad efficaciam suffragii, quae erat ex opere operante principalis agentis; sed quantum ad efficaciam suffragiorum, quae est ex opere operato vel ex opere operante exsequentis, non consequitur fructum, antequam suffragia fiant, et si prius contingat ipsum a poenis purgari, quantum ad hoc fraudabitur suffragiorum fructu, quod redundabit in illos, quorum culpa defraudatur.

Non enim est inconveniens, quod aliquis defraudetur per culpam alterius in temporalibus; poena autem purgatorii est temporalis; quamvis quantum ad retributionem (aeternam) nullus defraudari possit, nisi per propriam culpam.«

Arg. 4m autem hoc est: »Si suffragia existentibus in purgatorio valerent, maxime ea videntur valere, quae sunt ad eorum imperium facta.

Similiter in decreto unionis Graecorum ab Eugenio IV. in concilio Florentino edito legitur: »Definimus, si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari, et, ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta«.[1])

3. Quaeritur igitur, cur praecipue ista suffragia defunctorum commemorentur.

Cujus rei hanc s. Thomas affert rationem: »Suffragia — inquit — vivorum prosunt defunctis, secundum quod uniuntur viventibus charitate et secundum quod intentio viventium refertur in mortuos; et ideo illa opera praecipue nata sunt mortuis suffragari, quae maxime ad unionem charitatis pertinent vel ad directionem intentionis in alterum.

Ad charitatem autem sacramentum Eucharistiae praecipue pertinet, cum sit sacramentum ecclesiasticae unionis, continens illum, in quo tota Ecclesia unitur et consolidatur, scilicet Christum; unde Eucharistia est quasi quaedam charitatis origo sive vinculum.[2])

Sed haec non semper valent, sicut si aliquis decedens disponit tot suffragia pro se fieri, quae si facta essent, sufficerent ad totam poenam abolendam.

Posito ergo, quod huiusmodi suffragia differantur, quousque ille poenam evasit, ita suffragia ei nihil proderunt; non enim potest dici, quod ei prosint, antequam fiant; postquam autem sunt facta, eis non indiget, quia iam poenam evasit.

Ergo suffragia existentibus in purgatorio non valent«.

[1]) Eugenii IV. bulla »Laetentur coeli« dat. 6 Jul. 1439; cf. confessionem fidei Michaelis Palaeologi ipsi a Clemente IV. a. 1267 propositam et ab ipso in Concil. Lugdun. II. a. 1274 Gregorio X. oblatam, ubi idem jam legitur.

[2]) Cf. 4 dist. 45 qu. 2 a 3 quaest. 1 ad 3m: »Eucharistia est signum ecclesiasticae unionis, et ideo ex ipso opere operato ejus efficacia in alterum transire potest, quod non contingit de aliis sacramentis.«

Sed inter charitatis effectus praecipuum est eleemosynarum opus.

Et ita ista duo ex parte charitatis praecipue mortuis suffragantur, scilicet sacrificium Ecclesiae et eleemosynae (quamquam non sine intentione ferentis suffragium, ut ex dictis manifestum est).

Sed ex parte intentionis directae in mortuos praecipue valet oratio, quia oratio secundum suam rationem non solum dicit respectum ad orantem, sicut et cetera opera, sed directius ad id, pro quo oratur.

Et ideo ista tria ponuntur quasi praecipua mortuorum suffragia, quamvis, quaecunque alia bona ex charitate fiant pro defunctis, eis valere credenda sint.«[1])

4. Itaque »etiam jejunium (quod omnia mortificationis opera sub se continere dictum est) potest prodesse defunctis ratione charitatis et intentionis in defunctos directae, sed tamen jejunium in sui ratione non continet aliquid, quod ad charitatem vel directionem intentionis pertineat; et ideo Augustinus non posuit, sed Gregorius posuit jejunium inter suffragia mortuorum.«[2])

5. Quod si quis quaesierit, quid sepultura defunctis valeat, s. Thomas respondet:

»Sepultura adinventa est et propter vivos et propter mortuos.

Propter vivos quidem (adinventa est), ne eorum oculi ex turpitudine cadaverum offendantur et corpora foetoribus inficiantur; et hoc quantum ad corpus; sed spiritualiter etiam prodest vivis, in quantum per hoc astruitur resurrectionis fides.

Sed mortuis prosunt ad hoc, quod inspicientes sepulcra memoriam retineant defunctorum, ut pro defunctis orent.

Paganorum tamen error fuit, quod ad hoc sepultura

---

[1]) 4 dist. 45 qu. 2 a 3 quaest. 1 sol. 1.

[2]) Ibid. ad 2 m; cf. ad 1 m.

mortuo prosit, ut ejus anima quietem accipiat; non enim credebant prius animam quietem posse accipere, quam corpus sepulturae daretur; quod omnino ridiculum et absurdum est.

Sed quod ulterius sepultura in loco sacrato mortuo prodest, non quidem est ex ipso opere operato, sed magis ex ipso opere operante, dum scilicet vel ipse defunctus vel alius corpus ejus tumulari in loco sacro disponens patrocinio alicujus Sancti eum committit, cujus precibus per hoc credendus est adjuvari,[1]) et etiam patrocinio eorum, qui loco sacro deserviunt, qui pro apud se tumulatis frequentius et specialius orant.

Sed illa, quae ad ornatum sepulturae exhibentur, prosunt quidem vivis, in quantum sunt vivorum solatia; sed possunt et defunctis prodesse non quidem per se, sed per accidens, in quantum scilicet per hujusmodi homines excitantur ad compatiendum et per consequens ad orandum, vel in quantum ex sumptibus sepulturae vel pauperes fructum capiunt vel Ecclesia decoratur; sic enim Sap. IV (i. e. Tob. IV, 18; cf. ibid. II, 2—9 et XII, 8, 12)[2]) sepultura inter ceteras eleemosynas computatur.«[3])

Exsequiarum autem orationes, sicut etiam vigilias et alia similia more ecclesiastico in ritu exsequiarum fieri solita suffragii rationem habere supervacaneum est dicere.

6. »Oleum et cera ad sepulcra defunctorum perlata per accidens defuncto prosunt: vel in quantum Ecclesiae offeruntur sive pauperes dantur, vel in quantum hujusmodi in reverentiam Dei (et in protestationem fidei) fiunt«;[4]) unde s. Damascenus in sermone de dormientibus dicit: »Oleum et cera holocaustum sunt«;[5]) (quorum operum valor satisfactorius defunctis applicari potest).

---

[1]) Cf. cap. VI, 19.
[2]) Cf. 4 dist. 45 qu. 2 a 3 quaest. 3, 3 m.
[3]) Ibid. quaest. 3 sol. 3.
[4]) Ibid. ad 1 m; cf. ibid. quaest. 1 ad 6 m.
[5]) Ibid. 1 m.

Caput IX: De thesauro meritorum in Ecclesia reposito.

1. Meritum supernaturale est vel praemii essentialis vel praemii accidentalis.

Per se manifestum est, neminem praeter Christum posse essentiale praemium mereri nisi soli sibi ipsi, quia ad suam cuiusque ipsius bonitatem pertinet et secundum dispositionem unius cuiusque redditur.[1])

Ad praemium autem accidentale pertinent inter alia impetratio et satisfactio[2]) et sic mereri aliquis et sibi et aliis[3]) potest.

2. Iam vero quidquid gratiarum Christus meruit vel quidquid satisfecit, pro Ecclesia sua meruit et satisfecit, »quam acquisivit sibi sanguine suo«.[4])

Manent igitur haec Christi merita Ecclesiae propria, ut ipsis ad salutem suam utatur.

Similiter Sancti Dei et omnes denique fideles pii, nisi aliquibus quibusdam determinatis merita sua applicuerunt, pro Ecclesia universa impetrando et satisfaciendo meruerunt sive intentione implicita, dum in honorem Dei operantur, in cuius honorem ista meritorum reversibilitas sive communicatio a Deo ipso ordinata cedit, sive intentione explicita secundum illud s. Pauli ad Col. I, 24: »Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia.«

Haec igitur Sanctorum piorumque merita item propria sunt Ecclesiae ad suam utilitatem, ut scilicet fidelibus facultatem faciat per ea impetrandi gratiam et satisfaciendi pro peccatis.

3. Hunc duplicem illorum meritorum usum Ecclesiam facere posse s. Thomas docet, cum quaerit, num indulgentia valeat existentibus in peccato mortali.

»Quidam — inquit — dicunt, indulgentias valere etiam existentibus in mortali peccato non quidem ad dimissionem

---

[1]) Cf. cap. V, 2.

[2]) 4 dist. 15 qu. 2 a 2 quaest. 3 sol. 3.

[3]) Cf. cap. V, 1. — [4]) Act. XX, 28.

poenae, quia nulli potest dimitti poena, nisi cum jam dimissa est culpa — qui enim non est consecutus operationem Dei in remissionem culpae, non potest consequi remissionem poenae a ministro Ecclesiae neque in indulgentiis neque in foro poenitentiali —; valent tamen eis ad acquirendam gratiam.

Sed hoc non videtur verum, quia, quamvis merita illa, quae per indulgentiam communicantur, possint valere ad merendum gratiam (de congruo et per modum impetrationis), non tamen propter hoc dispensantur, sed determinate ad remissionem poenae. Et ideo non valent existentibus in peccato mortali. Et ideo in omnibus indulgentiis fit mentio de vere contritis et confessis.

Si autem fieret communicatio per hunc modum: »Facio te participem meritorum totius Ecclesiae vel unius congregationis vel unius specialis personae«, sic posset valere ad merendum aliquid illi, qui est in peccato mortali, ut praedicta opinio dicit.« [1])

4. Praecipue igitur thesaurus meritorum Christi et Sanctorum vocantur satisfactiones eorundem superabundantes, quas penes Ecclesiam est per modum indulgentiae fidelibus, qui indigent, dispensare.

»Multi — inquit s. Thomas — operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum et multas etiam tribulationes injuste sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur; quorum meritorum tanta est copia, quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt, et praecipue *propter meritum Christi,* quod etsi in sacramentis operatur,

[1]) 4 dist. 20 qu. 1 a 5 quaest. 1 sol. 1 (S. theol. s. 3 p. qu. 27 a 1 c) ubi addit: »Et per hoc patet solutio ad primum«. Arg. 1 m est hoc: »Videtur, quod indulgentia valeat existentibus in peccato mortali, quia aliquis potest alteri mereri, etiam in peccato mortali existenti, gratiam et multa alia bona. Sed indulgentiae habent efficaciam ex hoc, quod merita Sanctorum applicantur.«

Cf. S. theol. 1, 2 qu. 114 a 6.

non tamen efficacia ejus in sacramentis includitur, sed sua infinitate efficaciam sacramentorum excedit.

Dictum est autem supra (4 dist. 20 qu. 1 a 2 quaest. 2)[1]) quod unus pro alio satisfacere potest.

Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt; alias absque omni indulgentia remissionem consequeretur (quia scilicet satisfactio alicuius Sancti ab hoc eodem applicata ipsi ad solutionem debitae poenae immediate valeret sine interventu praelati ecclesiastici); sed (fecerunt satisfactionis opera) communiter pro tota Ecclesia; sicut Apostolus ait se adimplere ea, quae desunt passionum Christi, in corpore suo pro Ecclesia, ad quam scribit.[2])

Et sic praedicta merita sunt communia totius Ecclesiae.«[3])

Haec merita satisfactoria Christi Sanctorumque s. Thomas vocat bona Ecclesiae communia[4]) et thesaurum Ecclesiae,[5]) atque loquitur de meritis reconditis in thesauris Ecclesiae,[6]) et de eorum indeficientia.[7])

5. Concordat s. Thomas tum doctrina tum usu loquendi cum Ecclesia.

Clemens VI. illa merita Christi et Sanctorum thesaurum Ecclesiae esse pro fidelium indigentia dispensandum ad solvendas peccatorum poenas temporales clare docet, scribens ad Archiepiscopum Tarraconensem eiusque Suffraganeos haec: »Unigenitus Dei Filius . . . non corruptibilibus auro et argento, sed sui ipsius agni incontaminati et immaculati pretioso sanguine nos redemit; quem in ara crucis innocens

---

1) Cf. cap. V. — 2) Col. I, 24.

3) 4 dist. 20 qu. 1 a 3 quaest. 1 sol. 1 (S. theol. s. 3 p. qu. 25 a 1 c); cf. Quodlib. II qu. 8 a 16 c.

4) Ibid. ad 1 m.

5) Ibid, a 4 quaest. 2, Sed contra (S. theol. ibid. qu. 26 a 2); cf. ibid. quaest. 3, 1 m.

6) Ibid. quaest. 4 sol. 4.

7) Ibid. quaest. 1 sol. 1; cf. ibid. a 3 quaest. 2 sol. 2: »Merita Ecclesiae (scilicet propria), quae semper superabundant.«

immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse.

Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus.

Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum coeli clavigerum eiusque successores, suos in terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum et propriis et rationalibus causis nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae tam generaliter, quam specialiter vere poenitentibus et confessis misericorditer applicandum.

Ad cujus quidem thesauri cumulum beatae Dei genitricis omniumque electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur; de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum tam propter infinita Christi, ut praedictum est, merita, quam pro eo, quod, quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.«[1])

Leo X. autem hunc Lutheri errorem damnavit: »Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum.«[2])

Ergo Ecclesiae doctrina est: »Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, sunt merita Christi et Sanctorum.«

Concilium denique Tridentinum sublato quaestorum eleemosynarum nomine et usu »indulgentias deinceps per Ordinarios locorum adhibitis duobus de Capitulo debitis temporibus publicandas esse decernit, ut tandem coelestes hos

[1]) Extravag. Commun. lib. V tit. IX cap. 2 De poenit. et remiss.
[2]) Bulla Leonis X: »Exsurge, Domine« dat. 16. Maji 1520 n. 17

Ecclesiae thesauros non ad quaestum, sed ad pietatem exerceri omnes vere intelligant.« [1])

Postremo a Pio VI. damnata est propositio synodi Pistoriensis asserens: »scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum«, quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum, tamquam falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in art. 17. Lutheri damnata.[2])

Caput X: Quid indulgentia sit.

1. Ut supra diximus,[3]) potest alius pro alio debitum poenae temporalis post remissionem culpae relictae solvere propter unitatem charitatis, quae ex duobus vel multis unum secundum affectum facit.

Jam vero Jesus revera pro omnibus poenis temporalibus abunde satisfecit; item Sancti in satisfactionibus suis supererogaverunt ad bonum Ecclesiae.

Possunt igitur ab eo, qui Ecclesiae Christi praeest, cum Ecclesiae subditis illae satisfactiones superabundantes communicari, quibus debitum suum poenae temporalis solvant.

Atque haec est indulgentia.

Est igitur indulgentia extrasacramentalis remissio poenae temporalis pro peccato in foro divino debitae per applicationem superabundantium satisfactionum Christi eiusque Sanctorum.

2. Itaque falsum est, indulgentiam non esse nisi remissionem poenae ecclesiasticae.

Sane quidem Ecclesia, sicut regimen quodlibet, poenis reos violati ordinis sui afficere potest, ut ordinem restituat et scandalum tollat et reos ipsos emendet; attamen indul-

[1]) Conc. Trid. Sessio 21 cap. 9 de reform.

[2]) Pii VI. Constit. »Auctorem fidei« dat. 28. Aug. 1794 propos. 41.

[3]) Cf. cap. V.

gentia ad relaxandas has poenas neque datur neque valet; sed contra possunt poenae ecclesiasticae remanere, etsi quis indulgentiam lucratur, atque etiam remanent, nisi a praelato ecclesiastico earum venia specialiter una cum indulgentia conceditur.

Quod s. Thomas docet, cum respondet ad argumentum asserens: per indulgentias disciplinam monasticam dissolvi ideoque eas religiosis magis nocere, quam prodesse, »quia nimis vagarentur per huiusmodi indulgentias et poenas sibi impositas in capitulo negligerent.« [1])

»Propter indulgentias — inquit — non debet dissolvi regularis observantia; nam per indulgentias non dimittuntur poenae injunctae in capitulo, quia in capitulo agitur forum quasi judiciale magis, quam poenitentiale; unde etiam non sacerdotes (i. e. qui non sacerdotes sunt) capitulum tenent.

Sed absolvitur (scilicet per indulgentias) a poena injuncta vel debita pro peccato in foro *poenitentiali.*« [2])

Est autem eadem ratio de poenis, quae in foro Ecclesiae judiciali extra sacramentum poenitentiae infliguntur, ut per se manifestum est.

Quae poenae, cum per canones juris ecclesiastici determinari soleant, canonicae vocantur.

Itaque ad tales poenas canonicas remittendas indulgentia non valet.

3. Sunt etiam alii canones, qui poenitentiales vocantur, quorum finis principalis est, ut normam confessario praebeant taxandi satisfactiones, quibus poenitens pro peccatis Deo satisfaciat.

De quorum canonum usu prudenti s. Thomas dicit: »Quia poenae satisfactoriae infligendae medicinae sunt: sicut medicinae in arte (scilicet medica) determinatae non omnibus competunt, sed variandae sunt secundum arbitrium medici non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinae, ita poenae satisfactoriae in canonibus determinatae non com-

[1]) 4 dist. 20 qu. 1 a 5 quaest. 2, 2 m. — [2]) Ibid. ad 2 m.

petunt omnibus, sed variandae sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulatum.

Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem majus periculum oriatur, ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam poenam, quae uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet et a poenitentia totaliter recedat.«[1])

Satisfactiones igitur, quae a confessario in sacramento poenitentiae secundum normam canonum poenitentialium injunguntur, sacramentales sunt et ad recompensandam offensam Dei valent; quae recompensatio, nisi in hac vita praestatur, in purgatorio praestanda est iis, qui in statu gratiae e vita migrant.

Ab his igitur poenis injunctis vel debitis pro peccatis in foro poenitentiali aliquis per indulgentias absolvitur.[2])

4. Totam hanc doctrinam s. Thomas tradit, cum quaestionem disserat: »Utrum per indulgentiam possit aliquid remitti de poena satisfactoria«.

»Respondeo — inquit — dicendum, quod ab omnibus conceditur indulgentias aliquid valere, quia impium esset dicere, quod Ecclesia aliquid vane faceret.«

»Ecclesia generalis enim non potest errare, quia ille, qui ‚in omnibus exauditus est pro sua reverentia',[3]) dicit Petro, super cuius confessione Ecclesia fundata est: ‚Ego rogabo pro te, ut non deficiat fides tua'.[4]) Sed Ecclesia generalis indulgentias approbat et facit.«[5])

---

[1]) 4 dist. 18 qu. 1 a 3 quaest. 4 sol. 4 (S. theol. s. 3 p. qu. 18 a 4 c).

[2]) Cf. supra 2. — [3]) Hebr. V, 7. — [4]) Luc. XXII, 32.

[5]) 4 dist. 20 qu. 1 a 3 quaest. 1 Sed contra 2°; cf. Sed contra 1°: »Sed contra est 2 Cor. II, 10: ‚Nam et ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi (scilicet donavi)'; Glossa: ‚Id est, ac si Christus donasset'.

Sed Christus poterat relaxare absque omni satisfactione poenam peccati, ut patet Joa. VIII de muliere adultera.

Ergo et Paulus potuit.

Ergo et Papa potest, qui non est minoris potestatis in Ecclesia, quam Paulus fuit.«

»Sed quidam dicunt, quod non valent ad absolvendum a reatu poenae, quam quis in purgatorio secundum judicium Dei meretur, sed valent ad absolutionem ab obligatione, qua sacerdos obligavit poenitentem ad poenam aliquam vel ad quam etiam ordinatur ex canonum statutis.[1])

Sed haec opinio non videtur vera: primo, quia est expresse contra privilegium Petro datum, ut, quod in terra remitteret, et in coelo remitteretur; unde remissio, quae fit quantum ad forum Ecclesiae, valet etiam quantum ad forum Dei; et praeterea Ecclesia huiusmodi indulgentias largiens seu dans magis damnificaret, quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentiis injunctis.

Et ideo aliter dicendum est, quod valent et quantum ad forum Ecclesiae et quantum ad judicium Dei ad remissionem poenae residuae post contritionem et absolutionem et confessionem, sive sit injuncta sive non.

Ratio autem, quare valere possunt, est unitas corporis mystici, in qua multi operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum et multas etiam tribulationes injuste sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur; quorum meritorum tanta est copia, quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt, et prarcipue propter meritum Christi, quod etsi in sacramentis operatur, non tamen efficacia eius in sacramentis includitur, sed sua infinitate efficaciam sacramentorum excedit.

Dictum est autem supra,[2]) quod unus pro alio satisfacere potest.

Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt — alias absque omni in-

[1]) Huic opinioni subest haercticus error, satisfactiones in foro poenitentiae impositas non valere ad poenas purgatorii expiendas. Cf. Conc. Trid. Sess. XIV cap. 8 et 9 et can. 13.

[2]) 4 dist. 20 qu. 1 a 2 quaest. 3.

dulgentia remissionem consequeretur — sed communiter pro tota Ecclesia, sicut Apostolus dicit ad Col. I, 24, se implere ea, quae desunt passioni Christi, in corpore suo pro Ecclesia, ad quam scribit.

Et sic praedicta merita sunt communia totius Ecclesiae.

Ea autem, quae sunt communia multitudinis alicujus, distribuuntur singulis de multitudine secundum arbitrium ejus, qui multitudini praeest.

Unde sicut aliquis consequeretur remissionem poenae, si alius pro eo satisfecisset, ita (scilicet consequitur remissionem poenae), si satisfactio alterius sibi per eum, qui potest, distribuatur«.[1])

»Iste igitur, qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito poenae; sed datur ei, unde debitum solvat.«[2])

5. Ex dictis manifestum est, indulgentiam vicem satisfactionis supplere, ut poenalis, sed non ut medicinalis est.

»Satisfactio enim — inquit s. Thomas — et est punitiva, in quantum est actus vindicativae justitiae, et est etiam medicativa, in quantum est quoddam sacramentale.

Indulgentia ergo supplet locum satisfactionis, in quantum est punitiva, quia scilicet poena, quam alius sustinuit, imputatur isti, ac si ipse sustinuisset, et ideo reatus poenae tollitur; sed non succedit in locum satisfactionis, in quantum est medicativa (scilicet per assuetudinem vitiis contrariam), quia adhuc remanent pronitates ad peccandum derelictae ex priori peccato, ad quas sanandas necessarius est labor satisfactionis.

Et ideo crucesignatis (et in universum omnibus, quibus indulgentia datur), dum vivunt, consulendum est, ut non praetermittant satisfactionis opera, in quantum sunt praeservativa a peccatis futuris, licet reatus poenae sit totaliter solutus; neque enim ad hoc (scilicet ad tollendum reatum poenae, qui iam per indulgentiam sublatus est) requiritur aliquis labor, quia sufficit labor passionis Christi.

---

[1]) Ibid. a 3 quaest. 1 sol. 1 (S. theol. s. 3 p. qu. 25 a 1 c).

[2]) Ibid. ad 2m; cf. ad 3m.

Morientibus autem non est necessaria huiusmodi praeservatio, sed solum liberatio a reatu poenae.«[1])

6. Haec s. Thomae doctrina est doctrina Ecclesiae.

Etenim Sixtus IV. inter magistri Petri Oxomensis propositiones novem hanc proscripsit: »Papa non potest indulgere alicui viro poenam purgatorii.«[2])

Ergo poenam purgatorii Papa potest indulgere.

Deinde Martinus V. mandavit, ut de haeresi Wicleff suspectus interrogaretur: »Utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis et confessis ex causa pia et justa possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum (i. e. poenarum peccatorum post contritionem et confessionem relictarum, ut ex ipso contextu manifestum est)«.[3])

Praeterea Leo X. inter 41 Lutheri errores etiam hunc damnavit: »Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam.«[4])

Verum igitur est, indulgentias ad talem poenam remittendam in foro divino valere.

Item Pius V. inter propositiones 79 Michaelis Baji hanc damnavit: »Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur delicta.«[5])

Ergo catholicum est sentire, per illas delicta proprie redimi.

Denique Pius VI. propositionem synodi Pistoriensis asserentem, »indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti«, quasi indulgentia

---

[1]) Quodlib. II qu. 8 a 16 ad 3m; cf. 4 dist. 20 qu. 1 a 3 quaest. 1 ad 4m.

[2]) Sixti IV. bulla »Licet ea« dat. 9. Aug. 1478; Denzinger Enchir. edit. V a. 1874 falso a. 1479.

[3]) Martini V. bulla »Inter cunctas« dat. 8 Cal. Mart. 1418 art. 26. Joannes Wicleff docuit: »Fatuum est credere indulgentiis Papae et episcoporum« (art. 42 inter 45 articulos eiusdem damnatos).

[4]) Leonis X. bulla »Exsurge Domine« dat. 16. Maji 1520, n. 19; cf. ibid. n. 18.

[5]) Pii V. bulla »Ex omnibus afflictionibus« dat. 1. Oct. 1567.

praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeret ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam, tamquam falsam, temerariam, Christi meritis injuriosam, dudum in art. 19. Lutheri damnatam declaravit.[1])

Postremo documento esse possunt omnes bullae indulgentiarum.[2])

Caput XI: Indulgentiae tantum valent, quantum praedicantur.

1. »Iste — inquit s. Thomas — qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito poenae; sed datur ei, unde debitum solvat.«[3])

Nam »passio Christi et aliorum Sanctorum ei imputatur, ac si ipse passus esset, quantum sufficeret ad remissionem peccati sui, sicut contingit, cum unus pro alio satisfacit.«[4])

Causa igitur remissiva poenae temporalis ejus, qui indulgentias suscipit, sunt satisfactiones superabundantes Christi eiusque Sanctorum.

Itaque valor indulgentiarum determinatur secundum applicationem illarum satisfactionum factam ab eo, qui dispensandi pollet potestate.

2. Attamen haec applicatio non valet, nisi fit ob causam aliquam piam.

Etenim communicatio meritorum fieri potest dupliciter: »vel propter communicantiam in radice operis (scilicet meritorii), quae est charitas in operibus meritoriis; et ideo omnes, qui invicem charitate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant, tamen secundum mensuram status unius cuiusque (prout scilicet aliquis eorum in statu gratiae viae vel purgatorii vel in statu consummatae gratiae patriae est), quia etiam in patria unus quisque de bonis gaudebit al-

[1]) Pii VI. bulla »Auctorem fidei« dat. 28. Aug. 1794 propos. 40.
[2]) Cf. cap. VII, 5.
[3]) 4 dist. 20 qu. 1 a 3 quaest. 1 ad 2 m.
[4]) Quodlib. II qu. 8 a 16 c.

terius;[1]) et inde est, quod articulus fidei ponitur Sanctorum communio.

Alio modo (scilicet opus unius potest valere alteri per viam meriti) ex intentione facientis, qui aliqua opera specialiter ad hoc facit, ut talibus prosint; unde ista opera quodam modo efficiuntur eorum, pro quibus fiunt, quasi eis a faciente collata; unde possunt eis valere vel ad impletionem satisfactionis vel ad quidquid huiusmodi, quod statum (supra dictum) non mutat.«[2])

Statum enim gratiae vel gloriae nemo proprie sive de condigno meretur alii;[3]) sensu autem largiore sive de congruo potest aliquis alii, dum adhuc viator est, statum gratiae mereri, quod s. Thomas loco citato vocat meritum per viam orationis sive impetrationis.[4])

Negat igitur s. Thomas, quemquam alii de condigno mereri posse statum gratiae vel gloriae, attamen affirmat, aliquem de condigno sive »per viam meriti«[5]) alii mereri posse satisfactionem et quidquid »est consequens vel accessorium ad statum illum.«[6])

3. Jam vero Christus eiusque Sancti satisfaciebant quidem pro membris Ecclesiae in communi, sed, cum in omnibus suis operibus Dei gloriam et Ecclesiae profectum intenderent, eorum intentio sive explicita sive implicita etiam in satisfaciendo pro aliis erat, ut satisfactionum suarum superabundantium applicatio in eundem finem cederet, in honorem scilicet Dei et totius Ecclesiae utilitatem.

Cum igitur indulgentia non fiat nisi per applicationem superabundantium satisfactionum Christi eiusque Sanctorum, eorum quoque intentio in ista applicatione ser-

---

[1]) Cf. 4 dist. 45 qu. 2 a 2 quaest. 4 ad 3 m.

[2]) 4 dist. 45 qu. 2 a 1 quaest. 1 sol. 1; cf. cap. VI, 6—7.

[3]) Cf. ibid. ad 1 m.

[4]) Ibid. sol. 1. — [5]) Ibid.

[6]) Ibid.; cf. propos. Baji 77. damnata: »Satisfactiones laboriosae justificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.«

vanda esse videtur, ut valeat, quia merita sua aliter cum aliis communicandi intentionem non habent.[1])

Haec ratio ultima esse videtur, cur ad lucrandas indulgentias quascunque aliqua causa pia exigatur.

S. Thomas quidem causam aliquam piam ad valorem dispensationis indulgentiarum necessariam esse expresse docet.

Disserens enim, num indulgentiae etiam animabus in purgatorio existentibus prodesse possint, in fine solutionis affirmantis, dummodo indulgentia illis applicari concedatur, ait: »Nec tamen sequitur, quod praelatus Ecclesiae possit pro suo arbitrio animas a purgatorio liberare, quia ad hoc, quod indulgentiae *valeant,* requiritur causa conveniens indulgentias concedendi.«[2])

4. A parte s. Thomae autem stare videtur magisterium Ecclesiae; nam causam piam ad indulgentias requiri constanter commemorat.

Sic Martinus V. suspectum de haeresi Joannis Wicleff et Huss interrogari jubet, utrum credat, quod Papa omnibus Christianis ex causa pia et justa possit concedere indulgentias.«[3])

Clemens VI. autem in sua bulla ad Archiepiscopum Tarraconensem eiusque Suffraganeos de jubilaeo quinquagesimo quoque anno celebrando data dicit: »Quem thesaurum (scilicet meritorum Christi eiusque Sanctorum) non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum coeli clavigerum eiusque successores, suos in terris Vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum et pro-

---

[1]) 4 dist. 20 qu. 1 a 4 quaest. 1 sol. 1: »Indulgentiae effectum habent, secundum quod opera satisfactoria unius alteri computantur non solum ex vi charitatis, sed ex intentione operantis aliquo modo directa ad ipsum.«

[2]) 4 dist. 45 qu. 2 a 3 quaest. 2 sol. 2; cf. ibid. dist. 20 qu. 1 a 3 sol. 2 et ad 5m.

[3]) Cf. cap. VIII, 6.

priis et rationalibus causis . . . misericorditer applicandum.« [1])

Huc accedit, quod cum hac doctrina praxis Ecclesiae prorsus concordat; neque enim unquam aut ulli indulgentia conceditur, nisi ex causa pia.

5. Sane quidem in arbitrio dantis indulgentiam est, »taxare, quantum per indulgentiam de poena remittatur« [2]) pro aliqua causa pia, quam assignat.

Neque tamen tanta causa assignanda est, ut magis operum commutatio, quam indulgentiae gratia sit.

»Causa enim — inquit s. Thomas — non requiritur ad hoc, quod secundum eam debeat mensurari remissio poenae, sed ad hoc, quod intentio illorum, quorum merita communicantur, ad ipsum (scilicet suscipientem) pervenire possit.

Bonum autem unius continuatur alteri dupliciter: uno modo per charitatem; et sic etiam sine indulgentiis aliquis est omnium bonorum particeps, quae fiunt (scilicet secundum mensuram status sui, ut supra sub 2.), si in charitate sit; alio modo per intentionem facientis; et sic per indulgentias, si causa legitima adsit, potest intentio illius, qui pro utilitate Ecclesiae operatus est, ad istum continuari.« [3])

---

[1]) Cf. ibid. — [2]) 4 dist. 20 qu. 1 a 3 quaest. 2 ad 1m.

[3]) Ibid. ad 5m. Arg. 5m est hoc: »Idem videtur, alicui remittere poenam ultra justam aestimationem, quam remittere absque causa, quia quantum ad hoc, quod excedit, non recompensatur.

Sed ille, qui facit indulgentiam, non posset remittere absque causa poenam vel in toto vel in parte alicui, ut si Papa diceret alicui: ‚Ego remitto tibi poenam tibi debitam pro peccato'.

Ergo videtur, quod nec possit dimittere ultra justam aestimationem.

Sed indulgentiae plerumque praedicantur ultra justam aestimationem.

Ergo non tantum valent, quantum praedicantur.«

Ut ex responso patet, propositionem minorem prioris syllogismi intactam tamquam veram reliquit et tantum negavit plenam inter causam piam et indulgentiam commensurationem ad indulgentiae valorem necessariam esse.

Sed »si inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus poenitentiae revocentur, peccat faciens (i. e. dans) tales indulgentias; nihilo minus quis plenam indulgentiam (videlicet, si plena indulta est) consequitur.«[1])

Itaque si praelatus inordinate quasi pro nihilo indulgentias dat, peccat, quamvis valide det; sed si sine ulla causa pia dat, ne valide quidem dat.

6. Eius igitur, qui indulgentias lucrari vult, est piam causam exacte implere; quam si in statu gratiae et charitatis impleverit, indulgentiae tantum ei valent, quantum praedicantur.

Itaque tria ad hoc requiruntur: primo auctoritas dispensantis indulgentias, secundo charitas suscipientis, tertio ratio legitima dispensandi, quae est pia causa suscipienti implenda.

7. Totam hanc doctrinam s. Thomas complectendo sic tradit:

»Circa hoc (scilicet utrum indulgentiae tantum valeant, quantum praedicantur, necne) est multiplex opinio.

Quidam enim dicunt, quod huiusmodi indulgentiae non tantum valent, quantum praedicantur, sed uni cuique tantum valent, quantum fides et devotio sua exigit.

Sed dicunt, quod Ecclesia ad hoc ita pronuntiat, ut quadam pia fraude homines ad bene faciendum alliciat, sicut mater, quae promittens filio pomum ipsum ad ambulandum provocat.[2])

Sed hoc videtur valde periculosum dicere. Sicut enim dicit Augustinus in epistola VIII ad Hieronymum (cap. 3), »si in s. Scriptura deprehenditur aliquid falsitatis, jam robur auctoritatis s. Scripturae perit'; et similiter si in praedicatione Ecclesiae aliqua falsitas deprehenderetur, non essent documenta Ecclesiae alicujus auctoritatis ad roborandum fidem.

---

[1]) Ibid. ad 1 m.

[2]) Cf. error. Lutheri 18. damnatum: »Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium.«

Et ideo alii dixerunt, quod valent, quantum pronunciantur, secundum justam aestimationem, non tamen recipientis indulgentiam, qui nimis forte aestimat, quod dat, aut secundum aestimationem dantis, qui nimis parum aestimare posset, quod datur, sed secundum aestimationem, quae justa est secundum judicium bonorum pensata condicione personae (scilicet recipientis) et utilitate et necessitate Ecclesiae, quia uno tempore Ecclesia plus indiget, quam alio.

Sed etiam haec opinio non potest stare, ut videtur: primo, quia secundum hoc indulgentiae non valerent ad remissionem (scilicet gratiosam), sed magis ad commutationem quandam; et praeterea praedicatio Ecclesiae a mendacio non excusaretur, cum quandoque indulgentia praedicetur longe major, quam justa aestimatio possit requirere omnibus praedictis condicionibus pensatis; sicut quando Papa dat indulgentiam, quod, qui vadit ad unam ecclesiam, habeat septem annos de indulgentia, cuiusmodi etiam indulgentiae a beato Gregorio in stationibus Romae institutae sunt.

Et ideo alii dixerunt, quod quantitas remissionis in indulgentiis non est mensuranda secundum devotionem tantum suscipientis, ut prima opinio dicebat, neque secundum quantitatem eius, quod (a suscipiente) datur, ut dicebat secunda, sed secundum causam, pro qua indulgentia datur, ex qua reputatur dignus, ut talem indulgentiam consequatur; unde secundum quod accedit ad causam illam, secundum hoc consequitur remissionem indulgentiae vel in toto vel in parte.

Sed hoc iterum non potest salvare consuetudinem Ecclesiae, quae interdum majorem pro eadem causa, interdum minorem indulgentiam ponit, sicut rebus eodem modo se habentibus quandoque datur unus annus visitantibus ecclesiam unam, quandoque quadraginta dies, prout gratiam Papa facere voluerit indulgentiam constituens. Unde quantitas remissionis non est mensuranda ex causa, quae facit indulgentia dignum.

Et ideo aliter dicendum, quod quantitas effectus consequitur quantitatem suae causae.

Causa autem remissionis poenae in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesiae, quae se habet sufficienter ad totam poenam expiandam; non autem causa remissionis effectiva est vel devotio aut labor aut datum recipientis aut causa, pro qua fit indulgentia.

Unde non oportet ad aliquod horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiae, quae semper superabundant; et ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur.

Ad hoc autem, quod applicentur (merita) isti, requiritur auctoritas dispensandi huiusmodi thesaurum et unio eius, cui dispensatur, ad eum, qui merebatur, quod est per charitatem, et ratio dispensationis, secundum quam salvetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt; fecerunt autem ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiae in generali. Unde quaecunque causa adsit, quae in utilitatem Ecclesiae vergat et honorem Dei, sufficiens est ratio indulgentias elargiendi.

Et ideo secundum alios dicendum, quod indulgentiae simpliciter tantum valent, quantum praedicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis charitas, ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem.

Nec in hoc nimis fit magnum forum de misericordia Dei, ut quidam dicunt, nec justitiae divinae derogatur, quia nihil de poena dimittitur, sed unius poena alteri computatur.« [1])

8. Ut ex dictis patet, indulgentia pro concessione altera plenaria, altera partialis seu particularis est.

Indulgentiam plenariam ad expiandam totam poenam temporalem etiam in judicio Dei valere manifestum est.

Indulgentia autem aliquot dierum vel quadragenarum vel annorum si conceditur, poenae remittere dicenda est

---

[1]) 4 dist. 20 qu. 1 a 3 quaest. 2 sol. 2 (S. theol. s. 3 p. qu. 25 a 2 c); cf. Quodl. II qu. 8 a 16 c et ad 2 m.

tantum, quantum futurum sit, ut per satisfactionem canonicam tantidem temporis in foro poenitentiae injunctam[1]) in foro Dei solvatur.

Caput XII: De causa dispensandi indulgentias.

1. »Ut indulgentia — inquit s. Thomas — alicui valeat, tria requiruntur: primo causa pertinens ad honorem Dei vel ad necessitatem aut utilitatem Ecclesiae; secundo auctoritas in eo, qui (indulgentiam) facit; tertio, ut sit in statu charitatis ille, qui indulgentiam percipere vult.«[2])

Itaque relinquitur, ut de tribus his ad valorem indulgentiae requisitis accuratius agamus. Sequemur autem ordinem a s. Thoma loco citato propositum ab eodemque in Comment. in 4 dist. 20 servatum.

2. Quae causae ad dispensandas indulgentias conveniant ac sufficiant, singillatim definire et recensere neque necessarium nec possibile est.

Nam indigentiae Ecclesiae et necessitates proximi sunt innumerae, cultus Dei peramplus.

Possunt autem omnes causae piae secundum opus praestandum convenienter revocari ad duo genera, scilicet spiritualium et corporalium, sicut opera misericordiae.

3. Pro causa pia spirituali indulgentiam dari posse nemo unquam negavit, nisi qui ipsam indulgentiam haeretice reprobavit; nam pro re spirituali spirituale indulgentiae beneficium exhiberi posse facile intelligunt.

Ecclesiae praxis antiquissima est, pro causa spirituali dispensare indulgentias.

»Etiam pro pure spiritualibus — inquit s. Thomas — potest fieri indulgentia et fit quandoque, sicut, quicun-

[1]) Cf. 4 dist. 14 qu. 1 a 5 quaest. 1 ad 2m (S. theol. s. 3 p. qu. 28 a 1 ad 2m): »Poenitentia solemnis, quantum ad injunctionem, non exit forum occultum, quia, sicut occulte quis confitetur, ita occulte ei poenitentia injungitur; sed executio exit forum occultum et hoc non est inconveniens.« Cf. ibid. ad 1m.

[2]) Quodlib. II qu. 8 a 16 c.

que orat pro rege Franciae, habet decem dies de indulgentia a Papa Innocentio IV.; et similiter crucem praedicantibus datur quandoque eadem indulgentia, quae crucem accipientibus.« [1])

4. In causas autem dispensandi indulgentias corporales sive temporales non defuerunt, qui acriter inveherentur.

Itaque iam s. Thomas hanc veritatem defendit.

»Temporalia (sive corporalia) — inquit — ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia temporalibus uti debemus; et ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia, sicut repressio inimicorum Ecclesiae, qui pacem Ecclesiae perturbant, vel sicut constructio ecclesiarum et pontium et aliarum eleemosynarum collatio.

Et per hoc patet, quod non fit ibi simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali (ad quod scilicet temporale ordinatum est).« [2])

5. Eadem est Ecclesiae non tantum praxis, sed etiam expressa doctrina.

Jubet enim Martinus V suspectum de haeresi Joannis Wicleff et Huss interrogari: »Utrum credat, quod Papa omnibus Christianis possit concedere indulgentias, maxime pia loca visitantibus et ipsis manus suas porrigentibus adjutrices.«

»Utrum credat, quod ex tali concessione visitantes ecclesias ipsas et manus adjutrices eis porrigentes huiusmodi indulgentias consequi possint.« [3])

Joannes Wicleff enim docuerat: »Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis sibi in temporalibus subvenientibus«; [1]) qua doctrina sua universali etiam indulgentiarum pro subsidiis temporalibus dispensationem idem rejecit.

---

[1]) 4 dist. 20 qu. 1 a 3 quaest. 3 ad 2 m.

[2]) Ibid. sol. 3; cf. 1 m.

[3]) Martini V. bulla »Inter cunctas« n. 26 et 27.

[4]) Ibid. a 25 damnat.

Caput XIII: Quis indulgentias dare possit.

1. Potestatem dandi indulgentias in Ecclesia esse dogma catholicum est.

Concilium enim Tridentinum »eos anathemate damnat, qui indulgentias concedendi in Ecclesia potestatem esse negant«;[1]) cujus decreti rationes his affert verbis: »Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa (scilicet Ecclesia) usa fuerit.«[2])

Christus autem illam potestatem (secundum communem ss. Patrum consensum) intelligitur Ecclesiae dedisse, cum ad s. Petrum dixit: »Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis«;[3]) et cum ad omnes una cum s. Petro Apostolos dixit: »Amen, dico vobis: Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.«[4])

Sed jam ante Concilium Tridentinum Martinus V. suspectum de haeresi Joannis Wicleff et Huss interrogari jubet:

n. 26: »Utrum credat, quod Papa omnibus Christianis . . . possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum«.[5])

---

[1]) Conc. Trid. Sess. XXV. Decret. de Indulgentiis.

[2]) Ibid.

[3]) Matth. XVI, 19: »Dicit — inquit s. Thomas — ‚quodcunque' quia non solum culpam, sed (etiam) poenam.« Comm. super Matthaeum in h. l. Cf. errorem Lutheri damnatum n. 26: »Verbum Christi ad Petrum: Quodcunque solveris etc. (Matth. 16) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.«

[4]) Ibid. XVIII, 18: »Origines — inquit s. Thomas — dicit, quod (Jesus) hic dicit: ‚In coelo'; cum autem Petro locutus est, dicit: ‚In coelis ad designandum, quod Petrus habet universalem potestatem'.

Hic autem dicit: ‚In coelo, quia universalis non est eis potestas, sed in aliquo loco, quia Petro universalem potestatem dedit'.« Com. super Matth. in h. l. Cf. Decret. Grat. c 4 C. 24 qu. 1; cf. ibid. c. 6.

[5]) Martini V. bulla »Inter cunctas« dat. 8. Cal. Martii a. 1418.

n. 28: »Utrum credat, quod singuli episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum canonum hujusmodi indulgentias concedere possint.«[1])

Sixtus autem IV. magistri Petri Oxomensis propositionem damnavit asserentem: »Papa non potest indulgere alicui viro poenam purgatorii.«[2])

Ceterum potestatem dandi indulgentias in Ecclesia esse sequitur ex omnibus supra de indulgentiis dictis et infra dicendis.

2. Indulgentias dandi potestas non est s. ordinis, sed jurisdictionis.

Per indulgentias enim poenae temporales extra sacramentum poenitentiae dimittuntur.

»Clavis — inquit s. Thomas — est duplex, scilicet ordinis et jurisdictionis.[3])

Clavis ordinis sacramentale quoddam (i. e. ad sacramentum pertinens) est; et quia sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine, sed a Deo, ideo non potest taxare sacerdos, quantum per clavem ordinis in foro confessionis de poena debita dimittat; sed tantum dimittitur, quantum Deus ordinavit.

Sed clavis jurisdictionis non est quid sacramentale et effectus eius arbitrio hominis sub-

---

[1]) Ibid.

[2]) Sixti IV. bulla »Licet ea« dat. 9. Aug. 1478 n. 6; cf. Pii VI. Constit. »Auctorem fidei« dat. 28. Aug. 1794 propos. 42. synod. Pistor.

[3]) Cf. 4 dist. 19 qu. 1 a 1 quaest. 3 sol. 3 (S. theol. s. 3 p. qu. 19 a 3 c): »Clavis est duplex: una, quae se extendit ad ipsum coelum immediate, removendo impedimenta introitus in coelum per dimissionem peccati, et haec vocatur clavis ordinis, et hanc soli sacerdotes habent, quia ipsi soli ordinantur populo in his, quae directe sunt ad Deum.

Alia clavis est, quae non directe se extendit ad ipsum coelum, sed mediante militante Ecclesia, per quam aliquis ad coelum vadit, dum per eam (scilicet clavem) aliquis excluditur vel admittitur ad consortium Ecclesiae militantis per excommunicationem et absolutionem; et haec vocatur clavis jurisdictionis in foro causarum; et ideo hanc etiam non sacerdotes habere possunt, sicut archidiaconi vel clerici et alii, qui excommunicare possunt (cf. 4 dist. 18 a 2 quaest. 2); sed non proprie dicitur clavis coeli, sed dispositio ad ipsam«.

jacet; et huius clavis effectus est remissio, quae est per indulgentias, cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiae; et ideo etiam legati non sacerdotes indulgentias concedere possunt.«[1])

3. Jurisdictionis plenitudinem Papa Romanus habet; qui cum toti Ecclesiae praesit, etiam communia totius Ecclesiae bona jure proprio dispensare potest. Itaque cum per indulgentias communis Ecclesiae thesaurus dispensetur, auctoritas faciendi indulgentias penes Pontificem Romanum jure proprio ac pleno est.

»Papa — inquit s. Thomas — habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno. Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in Papa, quia potest facere, quod vult, causa tamen existente legitima.«[2])

4. »Episcopi — inquit s. Thomas — a Papa assumuntur in partem sollicitudinis, quasi judices singulis civitatibus praepositi«;[3]) ideo accipiunt potestatem jurisdictionis in dioecesibus suis ordinariam, sed papali jurisdictione limitatam in foro causarum tamquam personae publicae.

Itaque »in Episcopis potestas faciendi indulgentias est taxata secundum ordinationem Papae; et ideo possunt dare, secundum quod eis taxatum est et non amplius.«[4])

Qua cum doctrina concordat Ecclesia, quae suspectum de haeresi Joannis Wicleff et Huss interrogari jussit: »Utrum credat, quod singuli episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum canonum huiusmodi indulgentias concedere possint«.[5])

---

[1]) 4 dist. 20 qu. 1 a 3 quaest. 2 ad 1 m; cf. ibid. a 4 quaest. 2 sol. 2: »Potestas concedendi indulgentias sequitur jurisdictionem«. Ibid. quaest. 3 sol. 3: »Elargiri indulgentias pertinet ad jurisdictionem.«

[2]) Ibid. a 4 quaest. 3 sol. 3; cf. cap. X, 5 et cap. VIII, 6.

[3]) Ibid. quaest. 3 sol. 3. — [4]) Ibid.

[5]) Martini V. bulla »Inter cunctas« a. 28.

Vix necessarium est commemorare, eum quoque, qui ante sacerdotalis ordinis susceptionem ad episcopatum legitime promovetur, cum iam polleat jurisdictione ordinaria, posse indulgentias dare, quia hic jurisdictionis, non ordinis actus est.[1])

5. Denique cum potestas jurisdictionis cuilibet clerico delegari possit, quisquis potestatem indulgentias faciendi legitime commissam accipit, sive sacerdos est sive non sacerdos, indulgentias secundum commissionem facere potest.

»Potestas concedendi indulgentias — inquit s. Thomas — sequitur jurisdictionem; et quia diaconi et alii non sacerdotes possunt habere jurisdictionem commissam, sicut legati, ideo possunt indulgentias facere etiam non sacerdotes, quamvis non possint absolvere in foro poenitentiae, quod est ordinis.«[2])

»Indulgentias enim concedere pertinet ad clavem jurisdictionis, non ad clavem ordinis.«[3])

6. Haud dubium est, quin, qui alicui congregationi vel religioni praeest, merita suae congregationis vel religionis cum aliis communicare possit; quod etiam revera fit.

Item certum est, homines singulos aliis satisfactiones suas applicare posse.[4])

Sed hae meritorum communicationes indulgentiae non dicuntur ob duplicem rationem: »primo, quia per illas communicationes, quamvis homo solvatur de reatu poenae quantum ad Deum, tamen non solvitur a debito faciendi satisfactionem, ad quam obligatus est ex praecepto Ecclesiae (ut quae sola a suo praecepto liberare possit); sed per communicationem communium Ecclesiae meritorum homo etiam ab hoc debito absolvitur.

Secundo, quia in una persona et in una congregatione non est indeficientia meritorum, ut sibi in omnibus aliis valere possit; unde iste (scilicet qui talem communicationem

---

[1]) 4 dist. 20 qu. 1 a 4 quaest. 2 sol. 2.

[2]) Ibid.

[3]) Ibid. ad 1 m et 2 m; cf. Quodlib. II qu. 8 a 16 c et ad 2 m.

[4]) Cf. cap. V.

recipit) non absolvitur a poena debita pro toto, nisi tantum pro eo determinate fiat, quantum debebatur.

Sed in Ecclesia tota est indeficientia meritorum praecipue propter meritum Christi; et ideo solus ille, qui praeficitur Ecclesiae, potest indulgentiam elargiri.« [1])

7. Totam hanc doctrinam s. Thomas his complectitur verbis: »Indulgentiae effectum habent, secundum quod opera satisfactoria unius alteri computantur non solum ex vi charitatis, sed ex intentione operantis aliquo modo directa ad ipsum (scilicet recipientem).

Sed intentio alterius potest ad alterum dirigi tripliciter: aut in speciali aut in generali aut in singulari.

In singulari quidem, sicut cum quis pro alio satisfacit determinate; et sic quilibet potest alteri sua opera communicare.

In speciali autem, sicut cum quis orat pro congregatione sua et familiaribus et benefactoribus et ad hoc ordinat etiam sua opera satisfactoria; et sic ille, qui congregationi praeest, potest opera illa alii communicare applicando intentionem illorum, qui sunt de congregatione sua, ad hunc (vel illum hominem) determinate.

Sed in generali, sicut cum quis opera sua ordinat ad bonum Ecclesiae in generali; et sic ille, qui praeest Ecclesiae generaliter, potest opera illa communicare applicando intentionem suam ad hunc vel ad illum.

Et quia homo est pars congregationis, est pars Ecclesiae (cujus scilicet partes congregationes singulae sunt); ideo in intentione privati boni includitur intentio boni congregationis et boni totius Ecclesiae; et ideo ille, qui praeest Ecclesiae, potest communicare (praeter ea, quae sunt Ecclesiae, etiam) ea, quae sunt congregationis et huius (scilicet singuli) hominis (satisfacientis); et ille, qui praeest congregationi (praeter ea, quae sunt congregationis, etiam) ea, quae sunt huius hominis;

---

[1]) 4 dist. 20 qu. 1 a 4 quaest. 1 sol. 1.

sed non convertitur (i. e. non potest homo privatus merita congregationis nec praeses congregationis merita Ecclesiae communia communicare).

Sed neque prima communicatio neque secunda indulgentia dicitur, sed solum tertia propter duo: primo, quia per illas communicationes, quamvis homo solvatur a reatu poenae quantum ad Deum, tamen non solvitur a debito faciendi satisfactionem injunctam, ad quam obligatus est ex praecepto Ecclesiae; sed per tertiam communicationem etiam ab hoc debito absolvitur.

Secundo, quia in una persona vel in una congregatione non est indeficientia meritorum, ut sibi in omnibus aliis valere possit;[1]) unde iste (cui illa merita applicantur) non absolvitur a poena debita pro toto, nisi tantum determinate pro eo fiat, quantum debebatur.

Sed in Ecclesia tota est indeficientia meritorum praecipue propter meritum Christi, et ideo solus ille, qui praeficitur Ecclesiae, potest indulgentiam elargiri.«[2])

8. »Sacerdotes parochiales vel abbates aut alii huiusmodi praelati non possunt (scilicet vi dignitatis suae) huiusmodi indulgentias facere«,[3]) nisi indulgentias faciendi potestatem aliunde i. e. per delegationem accipiunt.

Non enim pollent, formaliter ut sunt parochi vel abbates vel inferiores praelati, potestate jurisdictionis, quae vi muneris solis episcopis in suis dioecesibus et Romano Pontifici in tota Ecclesia competit; unde soli episcopi proprie sunt praelati Ecclesiae.[4])

Itaque nequeunt neque parochi neque abbates vel inferiores praelati ut tales excommunicare.[5])

[1]) Cf. S. theol. s. 3 p. qu. 26 a 1 c, ubi legitur: »ut (ea) sibi (scilicet uni personae vel congregationi) et omnibus aliis (quibuscum merita sua communicant) valere possint«.

Ceterum sensus utriusque textus idem est.

[2]) 4 dist. 20 qu. 1 a 4 quaest. 1 sol. 1.

[3]) Ibid. — [4]) Cf. ibid.

[5]) Cf. ibid. Sed contra.

9. Per se patet, non requiri in eo, qui indulgentias dat, statum gratiae, ut valeant.

Nam »elargiri — inquit s. Thomas — indulgentias pertinet ad jurisdictionem. Sed per peccatum homo non amittit jurisdictionem;[1]) et ideo indulgentiae aeque valent, si fiant ab eo, qui est in peccato mortali, sicut si fierent ab eo, qui est sanctissimus, cum non remittat poenam ex vi suorum meritorum, sed ex vi meritorum reconditorum in thesauris Ecclesiae.«[2])

Caput XIV: De iis, quibus indulgentiae valent.

1. Thesaurus meritorum, unde indulgentiae dantur, est Ecclesiae proprius.

Inde statim sequitur, non posse indulgentiam accipere nisi eum, qui ad Ecclesiam pertinet. Ecclesiae autem membrum unus quisque fit per baptismum. Itaque soli baptizato indulgentia valet.

Idem sequitur tum ex vi indulgentiae tum ex natura potestatis eam conferendi.

Indulgentia enim est remissio poenae temporalis in foro poenitentiae relictae; nam poenae temporales ante baptismum contractae sacramento baptismi remittuntur neque ullus poenae temporalis reatus in baptismo relinquitur.

Potestas autem conferendi indulgentias est potestas jurisdictionis. Dicit autem s. Paulus: »Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit.«[3])

Itaque potestas jurisdictionis ecclesiae non se extendit nisi ad eos, qui in Ecclesia sunt.

Si quis autem excommunicatur, in poenam suffragiis Ecclesiae ideoque etiam indulgentiis privatur.

---

[1]) Cf. art. 15. damn. Joannis Wicleff et art. 30. damn. Joannis Huss: »Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali«.

[2]) 4 dist. 20 qu. 1 a 4 quaest. 4 sol. 4 (S. theol. s. 3 p. qu. 26 a 4 c); cf. ad 1 m.

[3]) 1 Cor. V, 12—13.

2. Cum actu peccare non possit, nisi qui rationis compos est sive »adultus«, ideo indulgentiae non est capax, nisi qui ad usum rationis pervenit.

Itaque baptizatus neque excommunicatus et adultus sit aliquis necesse est, ut indulgentia ei valere possit.

3. Praeterea requiritur, ut sit in statu gratiae, quia poena ante culpam non dimittitur, et quia per charitatem unitus[1]) esse debet cum eo, cuius satisfactiones ipsi applicantur.

»Quidam — inquit s. Thomas — dicunt, indulgentias valere etiam existentibus in peccato mortali non quidem ad dimissionem poenae, quia nulli potest dimitti poena, nisi cui jam dimissa est culpa; qui enim non est consecutus operationem Dei in remissione culpae, non potest consequi remissionem poenae a ministro Ecclesiae neque in indulgentiis neque in foro poenitentiali; valent tamen (inquiunt) eis ad acquirendam gratiam.

Sed hoc non videtur verum, quia, quamvis merita illa, quae per indulgentiam communicantur, possint valere ad merendum gratiam (per modum impetrationis et de congruo),[2]) non tamen propter hoc dispensantur, sed determinate (dispensantur) ad remissionem poenae; et ideo non valent existentibus in mortali (peccato); et ideo in omnibus indulgentiis fit mentio de vere contritis et confessis.«[3])

4. Denique requiritur, ut is, qui sibi indulgentiam vult valere, causam piam, ob quam indulgentia conceditur, secundum normam concessionis accurate impleat.

Nam »non existente — inquit s. Thomas — condicione non consequitur (aliquis) illud, quod sub condicione datur.

Unde cum indulgentia detur sub hac condicione, quod aliquis aliquid faciat vel det: nisi illud non exerceat, indulgentiam non consequitur.«[4])

[1]) Cf. cap. IX, 6 et 7. — [2]) Cf. cap. IX, 2 et 3.

[3]) 4 dist. 20 qu. 1 a 5 quaest. 1 sol. 1 (S. theol. s. 3 p. qu. 27 a 1 c).

[4]) Ibid. quaest. 3 sol. 3 (S. theol. s. 3 p. qu. 27 a 3 c).

Itaque »illud: ‚Ei, qui non potuit operari, voluntas pro facto reputatur' intelligitur quantum ad praemium quidem essentiale, sed non quantum ad accidentalia aliqua praemia, sicut est dimissio poenae vel aliquid huiusmodi.«[1])

Neque potest alius pro alio, qui ipse non potest, causam piam implere, nisi in literis indulgentiarum expresse conceditur.

»Opus enim proprium — inquit s. Thomas — potest quis applicare per intentionem, cuicunque voluerit; et ideo potest, pro quocunque vult, satisfacere.

Sed indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione eius, qui dat indulgentiam.

Et ideo cum ipse (scilicet faciens indulgentiam) applicet ad facientem vel dantem (opus praescriptum) — hic autem (scilicet faciens vel dans) illud (i. e. applicare) non potest — ille, qui hoc (i. e. opus) facit, ad alterum hanc intentionem (dispensantis indulgentias) transferre non potest.[2])

Si tamen fieret sic indulgentia: ‚Ille, qui facit, vel pro quo hoc fit, habeat tantam indulgentiam', valeret ei, pro quo fit; nec tunc iste, qui facit hoc opus, daret alteri indulgentiam, sed ille, qui indulgentiam sub tali forma facit.«[3])

5. Quodsi opus praestandum in literis indulgentiarum ita taxetur, ut condicio eius, qui indulgentiam lucrari vult, pensanda sit, manifestum est, indulgentiam accipere non posse eum, nisi secundum condicionem suam opus praestat.

»Quando — inquit s. Thomas — datur indulgentia indeterminate: ‚Qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiae', intelligitur tale auxilium, quod sit conveniens ei, qui auxilium dat; et secundum quod accedit ad hoc, secundum hoc plus vel minus de indulgentia consequitur.

---

[1]) Ibid. ad 1 m (cf. 1 m).

[2]) In S. theol. s. 3 p. qu. 27 a 3 ad 2 m ita legitur: »Et ideo, cum ipse applicet ad facientem vel dantem hoc aut illud, ille non potest, qui hoc facit, ad alterum hanc intentionem transferre.« Utriusque lectionis sensus idem est.

[3]) 4 dist. 20 qu. 1 a 5 quaest. 3 ad 2 m.

Unde etiam aliquis pauper dans unum denarium consequitur totam indulgentiam, non autem dives, quem non decet ad opus tam pium et fructuosum ita parum dare; sicut non diceretur rex alicui homini auxilium facere, si ei obolum daret.« [1])

6. Positis omnibus condicionibus praedictis quilibet Christi fidelis indulgentias consequi potest.

Non igitur excluduntur religiosi ab indulgentiis, »dummodo sint in charitate et servent ea, quae pro indulgentiis indicuntur.

Non enim religiosi sunt minus adjuvabiles meritis aliorum, quam saeculares.« [2])

Nam »quamvis religiosus sit in statu perfectionis, tamen ipse sine peccato vivere non potest; et ideo si aliquando propter peccatum aliquod commissum sit reus alicujus poenae, potest per indulgentiam ab hac expiari.

Non enim est inconveniens, si ille, qui est simpliciter superabundans (scilicet meritorum), aliquo tempore indigeat et quantum ad aliquid; et sic indiget (religiosus) supplemento, quo sublevetur.

Unde dicitur Gal. VI, 2: ‚Alter alterius onera portate'.« [3])

»Neque propter indulgentias debet dissolvi regularis observantia, quia religiosi magis merentur religionem suam servando quantum ad praemium vitae aeternae, quam indulgentiam exquirendo, quamvis minus ad dimissionem poenae, quod est minus bonum.

Nec iterum per indulgentias dimittuntur poenae injunctae in capitulo, quia in capitulo agitur forum quasi judiciale magis, quam poenitentiale; unde etiam non sacerdotes capitulum tenent.

---

[1]) Ibid. a 3 quaest. 2 ad 3 m.

[2]) 4 dist. 20 qu. 1 a 5 quaest. 2 sol. 2.

[3]) Ibid. ad 1 m. Arg. 1 m est hoc: »Videtur, quod indulgentiae non valeant religiosis.

Non enim competit eis supplere, ex quorum superabundantia aliis suppletur.

Sed ex superabundantia operum satisfactionis, quae sunt in religiosis, aliis suppletur per indulgentias.

Ergo eis non competit per indulgentias suppleri.«

Sed absolvitur a poena injuncta vel debita pro peccato in foro poenitentiali.«[1])

7. Etiam is, qui indulgentias aliis concedit, servatis condicionibus communibus easdem indulgentias consequi potest.

»Indulgentia — inquit s. Thomas — debet ex aliqua causa dari ad hoc, quod aliquis per indulgentiam ad actum aliquem provocetur, qui in utilitatem Ecclesiae et in honorem Dei vergat.

Praelatus autem, cui cura Ecclesiae utilitatis procurandae et honoris divini propagandi est commissa, non habet causam, ut se ipsum ad hoc provocet; et ideo non potest praebere indulgentiam sibi tantum, sed potest uti indulgentia, quam pro aliis facit, quia aliis subest causa faciendi.«[2])

Sane quidem »actus jurisdictionis non potest aliquis in se ipsum exercere, sed eis, quae auctoritate jurisdictionis dantur aliis, potest etiam praelatus uti tam in temporalibus, quam in spiritualibus.«[3]) Secus enim »esset ipse pejoris condicionis, quam alii, si ipse non posset uti thesauro Ecclesiae, quem aliis dispensat.«[4])

Neque est eadem omnino ratio excommunicationis et indulgentiarum largitionis.

Nam »excommunicatio profertur per modum sententiae, quam nullus in se ipsum ferre potest, eo quod in judicio non potest idem esse judex et reus.

Indulgentia autem non per modum sententiae datur, sed per modum dispensationis cujusdam, quam homo potest facere ad se ipsum.«[5])

Caput XV: Possintne indulgentiae etiam mortuis valere.

1. Cum beati suffragiis vivorum non indigeant, damnati autem eorum capaces non sint, statim manifestum est, indul-

---

[1]) Ibid. ad 2 m.

[2]) 4 dist. 20 qu. 1 a 5 quaest. 4 sol. 4 (S. theol. s. 3 p. qu. 27 a 4 c).

[3]) Ibid. ad 1 m. — [4]) Ibid. Sed contra. — [5]) Ibid. ad 3 m.

gentias, si mortuis prosunt, non prodesse posse nisi existentibus in purgatorio.

Quaestio igitur haec est, num animabus purgatorii indulgentiae prodesse possint.

2. »Indulgentia — inquit s. Thomas — dupliciter alicui prodesse potest: uno modo principaliter, alio modo secundario.

Principaliter, quidem prodest ei, qui indulgentiam accipit, scilicet qui facit hoc, pro quo indulgentia datur, ut qui visitat limina alicuius Sancti; unde cum mortui non possint facere aliquid eorum, pro quibus indulgentiae dantur, eis indulgentiae directe valere non possunt.

Secundario autem et indirecte prosunt ei, pro quo aliquis facit illud, quod est indulgentiae causa; quod quandoque contingere potest, quandoque autem non potest secundum diversam indulgentiae formam.[1])

Si enim sit talis indulgentiae forma: ‚Quicunque facit hoc vel illud, habebit tantum de indulgentia', ille, qui hoc facit, non potest fructum indulgentiae in alium transferre, quia eius non est, applicare ad aliquid intentionem Ecclesiae, per quam communicantur communia suffragia, ex quibus indulgentiae valent.

Si indulgentia sub hac forma fiat: ‚Quicunque fecerit hoc vel illud, ipse et pater ejus vel quicunque ei adjunctus in purgatorio detentus tantum de indulgentia habebit', talis indulgentia non tantum vivo, sed etiam mortuo proderit.

Non enim est aliqua ratio, quare Ecclesia possit transferre merita communia, quibus indulgentiae innituntur, in vivos et non in mortuos (qui scilicet in charitate decesserunt ideoque ad corpus Christi mysticum pertinere non desierunt).

Nec tamen sequitur, quod praelatus Ecclesiae possit pro suo arbitrio animas a purgatorio liberare, quia

[1]) Cf. cap. XIV, 4.

ad hoc, quod indulgentiae valeant, requiritur causa conveniens indulgentias concedendi.«[1])

Prosunt igitur indulgentiae animabus purgatorii, si a praelato Ecclesiae pro eis conceduntur, dummodo vivi causam piam indulgentiae impleant.

5. Secundum mentem s. Thomae animae istae singulae per singulas indulgentias plenarias, dummodo pro animabus purgatorii concessae sint, statim e purgatorio liberari possunt, quod alia suffragia non statim efficere solent.[2])

Etenim »indulgentiae tantum valent, quantum praedicantur«. Praedicantur autem in bullis indulgentiarum haud raro indulgentiae plenae pro animabus purgatorii valiturae, modo vivi causam piam impleant, quam defuncti iam non implere possunt.

Quod non ita intelligendum est, ac si vivus implendo causam ipse pro se indulgentiam plenam lucretur, quam deinde in animam aliquam purgatorii transferat. Nam indulgentia plena non est nisi remissio poenae temporalis eius, qui eam lucratur; sed cum poena temporalis in diversis valde diversa sit, etiam mensura satisfactionum, quae ex thesauro Ecclesiae praebentur, pro diversa quantitate remittendae poenae diversa est; itaque indulgentia plena uni cuique lucranti plena est, quamvis diversa singulis mensura communium meritorum Ecclesiae applicetur.

Papa igitur indulgentiam plenam defunctis vult concedere, modo pro ipsis vivi causam piam impleant, sine qua indulgentia concedi nequeat.

---

[1]) 4 dist. 45 qu. 2 a 3 quaest. 2 sol. 2.

[2]) Cf. ibid. a 4 quaest. 3 ad 2m: »Quamvis virtus Christi, quae continetur sub sacramento Eucharistiae, sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem illud sacramentum ordinatur; unde non oportet, ut per unum altaris sacrificium tota poena eorum, qui sunt in purgatorio, expietur; sicut etiam nec per unum sacrificium, quod aliquis homo offert, liberatur a tota satisfactione debita pro peccatis; unde et quandoque plures missae in satisfactionem unius peccati injunguntur.«

*

Sed »indulgentiae tantum valent, quantum praedicantur«.

Ergo si defunctis indulgentia plena conceditur, etiam plena eis est.

4. Neque obstat, quominus indulgentiae »per clavem jurisdictionis« concedantur.

Nam alia est jurisdictio in foro causarum alia in concessione indulgentiarum.

Ibi enim fertur sententia sive absolvens sive condemnans, quam judicium justum praecedat necesse est, ut sententia justa sit. Itaque a tali foro procul dubio defuncti exemti sunt; tali jurisdictioni non subjacent, sicut etiam foro poenitentiali subtracti sunt.

Attamen indulgentiae non dantur per modum sententiae absolventis, sed per modum dispensationis sive donationis.[1])

»Iste enim, — inquit s. Thomas — qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, sed datur ei, unde debitum solvat.«[2])

Unde quantumcunque poenae anima aliqua purgatorii debet: si indulgentiam plenam suscipit ab Ecclesia applicatam, tantum ei datur, quantum indiget, ut totum debitum solvat.

»Indulgentiae enim tantum valent, quantum praedicantur.«

5. Sunt praeterea animae purgatorii secundum quid adhuc in statu viae.

»Quamvis enim — inquit s. Thomas — animae post mortem non sint simpliciter in statu viae, tamen quantum ad aliquid adhuc sunt in via, in quantum scilicet eorum progressus adhuc retardatur ab ultima retributione.

Ideo simpliciter eorum via est circumsepta (secundum Job XIX, 8), ut non possint ulterius transmutari secundum statum felicitatis et miseriae, sed quantum ad hoc, quod

---

[1]) Cf. 4 dist. 20 qu. 1 a 5 quaest. 4 ad 3m; cf. etiam ad 1m in fine.

[2]) 4 dist. 20 qu. 1 a 3 quaest. 1 ad 2m.

detinentur ab ultima retributione, possint ab aliis juvari, quia secundum hoc adhuc sunt in via.«[1])

6. Quod autem aliqui dicunt, animas purgatorii suffragiis Ecclesiae adjuvari, quia id sibi in vita meruerint, id intelligendum est, ut supra ostendimus,[2]) de charitate, qua usque ad mortem servata in purgatorio capaces sunt suffragia Ecclesiae percipiendi.

Sine charitate enim nemo capax est dimissionis poenae peccati.

»Hoc enim modo — inquit s. Thomas — sibi meruerunt, ut sibi suffragia prodessent, si pro eis fierent; quod nihil aliud fuit, quam facere se habiles ad recipiendum.«[3])

Cum igitur ad lucrandas indulgentias praeter auctoritatem largientis et piam causam, quam vivi pro mortuis implere a largiente permitti possunt et revera saepe permittuntur, nihil amplius requiratur, quam charitas in suscipiente, manifestum est, animam purgatorii suscipiendo indulgentiam plenam plene debitum poenae solvere et soluto toto debito statim ad coelum evolare.

Quantum solatii haec veritas contineat quantamque Ecclesiae potestatem esse ostendat, neminem nostrum fugit.

7. Indulgentiis animas purgatorii juvari etiam Ecclesiae doctrina est.

---

[1]) 4 dist. 45 qu. 2 a 1 quaest. 2 ad 3m (S. theol. s. 3 p. qu. 71 a 2 ad 3m); cf. ibid. a 2 quaest. 2 ad 3m: »Purgatio animae per poenas purgatorii non est aliud, quam expiatio reatus impedientis a perceptione gloriae; et quia per poenam, quam unus sustinet pro alio, potest reatus alterius expiari, non est inconveniens, si per unius satisfactionem alius purgetur.«

Sic igitur per satisfactiones superabundantes Christi eiusque Sanctorum anima purgatorii plene purgatur, cum primum earum per plenam indulgentiam particeps fit.

»Poena enim unius pro altero suscepta alteri computatur.« Ibid. ad 2m.

[2]) Cf. cap. VI, 11—13.

[3]) Ibid. a 4 quaest. 1 ad 2m.

Etenim Leo X. articulum 22. Lutheri damnavit asserentis: »Indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles mortuis.« [1])

Pius VI. autem propositionem 42. synodi Pistoriensis damnavit asserentem, »luctuosius adhuc esse, quod chimaerica isthaec applicatio (scilicet meritorum Christi eiusque Sanctorum per indulgentias) transferri volita sit in defunctos« tamquam »falsam, temerariam, piarum aurium offensivam, in Romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiae injuriosam, inducentem in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22. Lutheri«.[2])

Petrus Oxomensis autem, cuius propositiones novem Sixtus IV. a. 1478 damnavit, in propositione sexta docuerat: »Papa non potest indulgere alicui viro poenam purgatorii.«

Denique documento sunt bullae indulgentiarum, »praxis et sensus universalis Ecclesiae«.

Caput XVI: Sintne indulgentiae populo Christiano salutares.

1. Indulgere duplicem habet significationem: uno modo respicit peccatum[3]) et idem est ac remittere peccatum sive quoad culpam sive quoad poenam; atque sic indulgentia in materia indulgentiarum accipitur; est enim indulgentia poenae temporalis peccati remissio per applicationem thesauri communis Ecclesiae.

Alio modo »indulgentia sumitur pro permissione.

Est autem duplex permissio: una quidem de minus malo, sicut dicitur Matth. XIX, 8, quod Moyses permisit Judaeis dare libellum repudii propter duritiam cordis eorum, scilicet ad vitandum uxoricidium, ad quod erant proni.

Talis autem permissio non fit in novo Testamento propter sui perfectionem secundum illud Hebr. VI, 1: ‚Ad perfectum feramur'.

[1]) Leonis X. bulla »Exsurge Domine« Luth. a 22. damn.

[2]) Pii VI. bulla »Auctorem fidei« propos. 42. damn.

[3]) Expos. in 1. Cor. VII, 6 lect. 1 me°

Alia autem permissio est de minus bono, cum scilicet homo praecepto non cogitur ad majus bonum; et hoc modo Apostolus indulget i. e. permittit matrimonium, quod est minus bonum, quam virginitas, quae non praecipitur et quae est majus bonum.«[1])

2. Videntur igitur indulgentiae etiam pro tali permissione »de minus bono« accipi posse.

Nam satisfactio pro poena temporali non tantum poenam peccati diminuit, sed etiam gratiam et gloriam auget, quod bonum longe melius est.

»Religiosi — inquit s. Thomas — magis merentur religionem suam servando quantum ad praemium vitae aeternae, quam indulgentias exquirendo; quamvis minus (mereantur) quantum ad dimissionem poenae, quod est minus bonum.«[2])

Et in universum ait: »Quamvis indulgentiae multum valeant ad remissionem poenae, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu praemii essentialis, quod *in infinitum* melius est, quam dimissio poenae temporalis.«[3])

Sic igitur indulgentiae secundum se revera minus bonum permittunt, cum necessitatem pro poena temporali satisfaciendi tollunt; ideoque salutares populo Christiano esse non videntur.

3. Attamen haec insimulatio procul dubio vera non est, si de defunctis agitur, quibus indulgentiae etiam valere possunt.

Nam animae purgatorii proprie satisfacere non possunt, sed tantum satispati, donec scilicet debitum poenae solverint.

»Poena illa, — inquit s. Thomas — quam animae in purgatorio sustinent, non potest proprie dici satisfactio, quia satisfactio opus meritorium (ideoque

---

[1]) Ibid.

[2]) 4 dist. 20 qu. 1 a 5 quaest. 2 ad 2m.

[3]) Ibid. a 3 quaest. 2 ad 2m.

statum viae) requirit; sed largo sensu dicitur satisfactio doenae debitae solutio.«[1])

Ergo animabus in purgatorio detentis indulgentiae valde salutares sunt, quia eas citius ad visionem et fruitionem Dei adducunt.

Idem dicendum est de iis, qui in articulo mortis constituti iam non tempus satisfaciendi habent.

Itaque ista insimulatio ab initio saltem ad vivos restringenda erat.

4. Sed etiam vivis indulgentiae multum prosunt et vere salutares sunt.

Nam, quamvis necessitatem satisfactionis, ut poenae solutio est, auferant, tamen necessitatem satisfactionis, ut medicina praeservans est, non tollunt.

»Indulgentia — inquit s. Thomas — supplet locum satisfactionis, in quantum est punitiva, quia scilicet poena, quam alius sustinuit, imputatur isti, ac si ipse sustinuisset; et ideo reatus poenae tollitur.

Sed non succedit in locum satisfactionis, in quantum est medicativa, quia adhuc remanent pronitates ad peccandum derelictae ex priori peccato, ad quas sanandas necessarius est labor satisfactionis (quia scilicet consuetudo mala assuetudine bonorum operum vincitur).

Et ideo crucesignatis (et omnibus in universum), dum vivunt, consulendum est, ut non praetermittant satisfactionis opera, in quantum sunt praeservativa a peccatis futuris, licet reatus poenae sit totaliter solutus.«[2])

Quod autem s. Thomas hic per modum consilii proponit, id eatenus praeceptum esse alicui, quatenus ad permanendum in statu gratiae necessarium est, per se manifestum est, quia, qui tenetur ad finem, etiam ad ea tenetur, quae sunt ad finem istum.

---

[1]) 4 dist. 17 qu. 2 a 4 quaest. 3 ad 3m (S. theol. s. 3 p. qu. 4 a 3 ad 3m).

[2]) Quodlib. II qu. 8 a 16 ad 3m.

5. Ceterum »majus remedium — inquit s. Thomas — praebetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum.

Et quia ex affectu, quem accipiens indulgentiam concipit ad causam, pro qua indulgentia datur, ad gratiam disponitur, ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur; et ita non est in destructionem indulgentias dare, nisi inordinate (i. e. pro levissima quaque causa)[1]) dentur.«[2])

Indulgentiae igitur, cum non dari soleant nisi pro causis gravioribus, ut ex ipsis concessionis documentis cognoscitur, propterea non tantum ad consequendas multas gratias, sed etiam ad exscindendas peccatorum causas multum valent, praesertim cum plerumque susceptio sacramenti Poenitentiae et s. Communionis vel saltem contritionis actus praescribatur.

Imprimis si indulgentiae per modum jubilaei conceduntur, communi pietatis studio ac fervore haud pauci a via erroris ac peccati ad Deum pertrahuntur.[3])

Sunt igitur indulgentiae populo Christiano revera salutares, quia ad salutem conducunt.

6. Itaque Leo X. inter Lutheri errores hos damnavit:

n. 18: »Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium et remissiones bonorum operum; et sunt de numero eorum, quae licent, et non de numero eorum, quae expediunt«.

n. 20: »Seducuntur credentes, indulgentias esse salutares et ad fructus spiritus utiles«.[4])

Concilium autem Tridentinum »indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem et sacrorum Con-

---

[1]) Cf. cap. XI, 5.

[2]) 4 dist. 20 qu. 1 a 3 quaest. 1 ad 4m (S. theol. s. 3 p. qu. 25 a 1 ad 4m), ubi subjungit: »Tamen consulendum est eis, qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus poenitentiae injunctis abstineant, ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito poenae essent immunes; et praecipue, quia quandoque sunt plurium debitores, quam credant.«

[3]) Cf. cap. IX, 5 (Clem. VI.).

[4]) Leonis X. bulla »Exsurge«.

ciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.

In his tamen concedendis moderationem juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.

Abusus vero, qui in his irrepserunt et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab haereticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens praesenti decreto generaliter statuit, pravos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse.

Ceteros vero (abusus), qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia aut aliunde quomodocunque provenerunt, cum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi, mandat (sacrosancta synodus) omnibus Episcopis, ut diligenter quisque huiusmodi abusus ecclesiae suae colligat eosque in prima synodo provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cognita statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cujus auctoritate et prudentia, quod universali Ecclesiae expediet, statuatur, ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.« [1])

Sic ecclesia catholica, ut eius mos est, abusus, quos irrepsisse sincere fatetur, sustulit, salutarem indulgentiarum usum restituit, impios errores damnavit, dogma salutare constanter asseruit ac pie servavit.

---

[1]) Conc. Trid. Sess. XXV. Decret. de Indulg. Cf. professionem fidei Trid.: »Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo.«

C - De satisfactione et indulgentia
9217

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO — 5, CANADA

9217.